





0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

PHARMACOPOEA LVGDVNENSIS REFORMATA,

Mandato & curâ

INCLYTI COLLEGII MEDICORVM LVGDVNENSIVM.






LVGDVNI GALLORVM.

Carolus … Jaron. D. M.

M. DC. LXXIV.

Ejusdem COLLEGII Sumptibus excusa.

Typis IACOBI FAETON.

Cum Superiorum Permissu.

…ent chez LOVYS PASC… …

…vis la Place Neufve.



Illustrissimo ac Reverendissimo Viro

DOMINO D. CAMILLO DE NEUFVILLE,

ARCHIEPISCOPO ET COMITI Lugdunensi, necnon Galliarum Primati, Regiorum Ordinum Commendatori, Proregi Lugdunensium, &c.

ILLUSTRISSIME PROREX.



VANDOQUIDEM apud Literatos id moris passim obtinuit, ut scripta publici juris futura, in singularis reverentiæ pignus, personis nuncupentur Illustribus, quarum etiam nomina præsidio simul ac ornamento tam donantibus, quàm donariis esse possint: hoc ipso consilio Nos tam laudabili mori morem gerentes, nostrum hunc fœtum literarium in apricum mo-

 do

dò prodeuntem Venerando Tuo Nomini meritò consecrandum, unâ omnium voce, nostris in Comitiis decrevimus. Enimvero cui mortalium suos potiùs voveat nuncupétque conatus bono publico unicè destinatos Lugdunensium Medicorum Collegium, quàm sublimi illi Genio, quem sibi vsquequaque benevolum & beneficum quotidie experitur, & quem non minore philanthropiâ quàm authoritate pollere compertissimum habet? Quibus gemellis dotibus nihil amabilius, nihil augustius esse potest. Hisce profectò admirandis & flexanimis artibus, toti NEOVILLÆORVM Tuorum genti, nominatim verò Tibimet cœlesti munere liberaliter indultis, latissimos lætissimósque terrarum tractûs populósque Lugdunenses, Forenses, ac Baujovienses, quos vel Tuapte præsentiâ illustras, vel amicâ irradiatione foves, tam dulci imperio contines, tantáque providentia, æquitate ac justitiâ rebus ipsorum consulis;

Quippe regens dictis animos, & pectora mulcens,

ut nulla planè sit Gallicani Orbis Provincia, quæ plenioribus alcedoniis hodie perfruatur. Vnde fit ut Lugduni Oppidum, quod *Magni & fortunati* titulo, Severi Imperatoris tempore, ab Herodiano

fuerat

fuerat honeſtatum, hodie ſub Tuo Inclytiſſimíque Fratris Polemarchi Ducis VILLAREGII moderamine, longè *Maximi ac Fortunatiſsimi* Emporij vocabulum ſibi vindicare debeat. Vnde etiam fit ut noſtrum Collegium Pœonium, ſub hoc verè Mæcenatico tam rari germanorum paris umbraculo, optatiſſima otia nactum, non paucis jam ab annis, ad invidiam uſque floreat, vigeat, triumphet,

Non ſecus ac humiles ſub amœno tegmine matris
Conſurgunt Lauri, dum ſole fruuntur aprico,
Auroræ lachrymis ad votum manè rigantur,
Et Zephyri vegetâ recreantur ſæpiùs aura.

Etiamſi verò probè intelligamus, ARCHIPRÆSVLVM ILLVSTRISSIME, noſtræ opis nequaquam eſſe, Tibi, pro tot tantíſque Tuis noſtram in Rempublicam, ac noſmet-ipſos meritis, ulla ſatis digna ad divæ Mnemoſynes tholum appendere anathemata: nihilominus tamen hac ipſa dedicatiunculâ, tanquam levidenſi teſſerâ, palàm declarare heic ſatagimus, quantâ prothymiâ, quantóque cultu Te proſequamur univerſi, animis ſingulorum in Te unum converſis, eundem penè in modum, quo Polarem in ſtellam acus nau-

ticæ Heraclei lapidis afflatibus gravidæ perpetuò diriguntur. O nos beatos! ſi noſtrum hoc Opus boni conſulueris, & benignis oculis aſpexeris. Beatiores, ſi Tuum Nobis favorem porrò impertire dignatus fueris. Beatiſſimos denique, ſi tot è medicamentis in hocce Narthecio deſcriptis, vnum ſaltem aut alterum extet, quod penſum Tuæ vitæ, nobis omnibus pretioſiſſimæ, diutiſſimè prorogare, tuámque interim incolumitatem promovere, atque adeo omni ex parte ſervare queat illibatam. Quæ quidem beneficia ut certò contingere videamus, à Deo immortali bonorum omnium largitore, ſupplicibus votis contendere non deſinemus. VALE, Ampliſſime Prorex. Lugduni Gallorum, ipſis Kal. Ianuarij, Anni ſalutis M. DC. LXXIV. qui ab inchoatione Collegij noſtri ſæcularis numeratur, & cujus curriculum Tibi auſpicatiſſimum efflictim comprecamur,

Illuſtriſſimi Tui Nominis,

Totis pectoribus devotiſſimi
ac obſequentiſſimi Cultores,

Doctores ac Profeſſores Medici
Collegio Lugdunenſi aggregati.

LATERCVLVM

Doctorum Medicorum & Profeſſ. Colleg. Lugdun. aggregator.
Anno 1674. *Menſe Ianuario ſuperſtitum.*

M. Petrus Garnier, *Decanus*.
M. Carolus Spon, *Vicedecanus & Procurator Coll.*
M. Andreas Falconet, *Med. Reg. & Exconſul Lugd.*
M. Ioan. Claudius Marcellin.
M. Franciſcus Piccoté de Beleſtre.
M. Petrus Potot.
M. Ludovicus de Serres.
M. Petrus Barrá.
M. Ioannes Panthot.
M. Bonaventura Baſſet, *Procurator Colleg.*
M. Ioannes de Rhodes.
M. Claudius Hedoin.
M. Antonius Bouge.
M. Andreas de Lucque.
M. Antonius Marquis.
M. Claudius Feret.
M. Ignatius Leal.
M. Natalis Falconet, *Filius*.
M. Iacobus Spon, *Filius*.
M. Ioannes Merlat.
M. Petrus Garnier *Filius*.

LECTORI

LECTORI SALVTEM.

QVISQVIS vel primoribus labellis Artis Medicæ gustum ceperit, facilè judicabit medicamentorum omnis generis supellectilem, praxim exercentibus non minùs esse necessariam, quàm sint volucribus ad volandum pennarum remigia. Vnde fit ut à dementia parum abesse videantur, qui nullâ vel exiguâ duntaxat Hyles Iatricæ cognitione instructi, ad factitandam sese conferunt Medicinam; quemadmodum & ij qui unico Alkaest, vano cerebri sui figmento, quibusvis mortalium languoribus certissimam opem ferre se posse gloriantur. Nullo itaque fucorum talium inertium habito respectu, sed in solarum apium industriarum gratiam, Decessores nostri (quorum vrnas floribus piè spargimus) Pharmacopœam olim sibi sumpserunt adornandam, quam anno sæculi volventis duodetrigesimo publicis typis committere non dubitârunt, simplicia & composita selectiora complectentem medicamina, quæ Lugdunensi populo infinitis nominibus sibi commendatissimo possent esse usui. Verissimum enim esse noverant cordatissimi illi Majores nostri prudens Cornelij Celsi effatum, *Differre Medicinæ genera pro natura locorum, ita ut aliud sit opus Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Quibus ex verbis planè aureis palmare etiam istud corollarium


rollarium non temerè deducere poterant, in Gallia videlicet ipsâ, aliud opus esse *Lutetiæ*, aliud *Monspelij*, aliud denique *Lugduni*. Sua enim esse solet ac peculiaris cuique terrarum tractui diathesis, ab aliorum indole diversâ, eâque aptâ natâ incolarum complexiones, adeóque ipsorum humores ac mores, tum afficere, tum sibimet assimilare. Hinc non obscura proculdubio diversitas emergit, victus rationis hîc aut illic vsurpandæ, vt & præsidiorum administrandorum, sive illa Chirurgica fuerint, sive Pharmacurgica. Quibus sic se habentibus, nihil nobis appositius consultiúsve videtur, quàm topicas huiusmodi Pharmacopœas proponere, quas unanimi consensu Pharmacopolæ observent. Cum ergo memoratæ illius Pharmacopœæ nostratis exemplaria funditus defecisse, passimque desiderari nobis innotuisset, ejusdem opellæ denuo typis subjiciendæ, & quidem propriis Collegij sumptibus concilium inivimus. Verùm quia certis de causis non pauca videbantur hoc tempore vel detrahenda, quòd partim superflua essent, partim obsoleta, vel supplenda ac adjicienda, tam è penu Chymico, quàm Pharmaceutico, quòd à vulgo practicísque expetantur, vel alio quocunque modo immutanda, vt rectiùs quoad materiam & doses, nec-non quoad ordinem cuncta procederent, istud pensi duobus è nostro ordine delegatis libenter commisimus exequendum, qui tanti momenti mandatis, provt par erat obtemperantes, totam sedulò ex-

ẽ polire

polire, circumlambere ac reformare, quantum in ipſis fuit allaborarunt: non neglectis conſiliis oportuníſque monitis aliorum aliquot Symmyſtarum Pharmaciæ longè peritiſſimorum, quorum omnium nomina in gratitudinis ſymbolum neutiquam piguiſſet candidè profiteri, ſingulorúmque merita honorificè commemorare, niſi ipſimet nominari ſe, debitíſque laudibus ornari præ modeſtia recuſaſſent. Bene Vale, & Fave.



PHARMA



PHARMACOPOEÆ LVGDVNENSIS
SECTIONVM ORDO.

Partis Prioris.

Partis Poſterioris.

Appendicis.



PHARMA



PHARMACOPOEÆ LVGDVNENSIS REFORMATÆ

PARS PRIOR,

De Medicamentis cùm Simplicibus, tum Compoſitis, ad vſus potiſſimùm internos deſtinatis.


SECTIO PRIMA.

De Simplicibus Medicamentis Officinalibus.



VM Simplicia medicamenta, è quibus Compoſita concinnantur, ſoleant ex triplici rerum Phyſicarum claſſe deſumi, putà Vegetabilium, Mineralium terreorúmve corporum, (quibus Marina etiam quædam ac Ambigua accenſemus) atque Animalium: quamplurimùm intereſt rei cùm publicæ,

tum medicæ, vt præter recentiora, quæ ferè quovis tempore reperiri possunt, sequentia in Pharmacopœorum Lugdunensium Officinis in promptu sint atque conserventur.



CAPUT I.

De Simplicium Medicamentorum Officinalium Enumeratione.

CLASSIS PRIMA.

De Vegetabilibus.

RADICES.

Acori veri, *seu* Calami aromatici Officinarum.
Nostratis, *seu* Ireos palustris.
Althææ, *seu* Bismalvæ.
Anchusæ.
Angelicæ.
Apij.
Ari, *seu* Iari.
Aristolochiæ longæ.
Rotundæ.
Tenuis.
Asari.
Asparagi.
Bistortæ.
Brusci, *seu* Rusci.
Bryoniæ.
Buglossi.
Capparum.
Carlinæ.
Caryophyllatæ.
Chynæ, *seu* Chinæ.
Contrayervæ.
Costi Arabici.
Corticosi.
Cucumeris agrestis.

Curcumæ

Curcumæ, *seu* Terræ meritæ.
Cyclaminis, *seu* Arthanitæ.
Cyperi longi.
Rotundi.
Dictamni albi, *seu* Fraxinellæ.
Doronici Romani.
Echij.
Enulæ Campanæ, *seu* Helenij.
Eryngij.
Esulæ.
Filicis fœminæ.
Maris.
Fœniculi.
Fragariæ.
Fraxini.
Galangæ maioris.
Minoris.
Gentianæ.
Glycyrrhizæ, *seu* Liquiritiæ.
Graminis.
Hellebori albi.
Nigri.
Hermodactyli.
Ialappæ.
Ireos Florentiæ.
Nostratis.
Malvæ.
Mandragoræ.
Mechoacannæ.
Méu.
Nardi Celticæ, *seu* Spicæ Celticæ.
Nymphææ, floribus albis.
Ononidis, *seu* Arestæbovis.
Pentaphylli.
Petroselini.
Peucedani.
Pœoniæ fœminæ.
Maris.
Polypodij querni.
Pyrethri.
Rhabarbari.
Rhapontici.
Rubiæ tinctorum, *seu* Erythrodani.
Salsæ-parillæ.
Scillæ.
Scorzoneræ.
Scrophulariæ majoris.
Minoris.

Sigilli Salomonis.
Symphyti majoris, *ſeu* Conſolidæ majoris.
THymelææ.
Tormentillæ.
Turbith, *ſeu* Turpethi.
VAlerianæ maioris, *ſeu* Phu.
ZEdoariæ longæ.
Zingiberis.

FOLIA.

ABrotani maris.
Abſinthij majoris, *ſeu* vulgaris, *aut* Romani.
Minoris, *ſeu* tenuj folio, *aut* Pōtici.
Adianti albi, *ſeu* Capilli Veneris veri.
Nigri.
Agrimonij vulgaris.
Odorati.
Alchymillæ, *ſeu* pedis leonis.
Althææ.
Arthemiſiæ.
BEtonicæ.
CAlamenthi montani.
Carduj benedicti.
Ceterach, *ſeu* Scolopendrij veri, *aut* Aſplenij.
Chamædryos.
Chamæpityos.
Corallinæ.
Cuſcutæ.
DIctamni Cretici.
EPithymi.
Equiſeti, *ſeu* Caudæ equinæ.
Euphraſiæ.
HErniariæ, *ſeu* Millegranæ.
Hyſſopi.
LAvendulæ.
Lauri.
Maioranæ, *ſeu* Amaraci, *aut* Sampſuchi.
Citratæ, *ſeu* Mari Gallici.
Malabathri, *ſeu* Folij Indi.
Malvæ.
Marrubij albi, *ſeu* Praſſij.
Matricariæ, *ſeu* Parthenij.
Meliſſæ.
Menthæ.
Menthaſtri.

Mercu

Mercurialis.
Myrti.
NARDI Indicæ, *ſeu* Spicæ Indicæ, *aut* Spicæ nardi.
Nepetæ, *ſeu* Cattariæ.
Ocimi, *ſeu* Baſilici.
Origani.
PARIETARIÆ, *ſeu* Helxines.
Plantaginis, *ſeu* Arnogloſſi.
Polij montani.
Polytrichi, *ſeu* Trichomanis.
Pulegij regij, *ſeu* latifolij.
Vulgaris.
Pulmonariæ latifoliæ, *ſeu* ſymphyti maculoſi.
Pyrolæ.
Roriſmarini.
Rutæ.
Rutæ murariæ, *ſeu* Salviæ-vitæ.
SABINÆ.
Salviæ.
Saniculæ.
Saturejæ.
Scabioſæ.
Scolopendrij vulgaris, *ſeu* Officinarum, *aut* Linguæ cervinæ.
Scordij.
Senæ Orientalis.
Soldanellæ, *ſeu* Braſſicæ marinæ.
Succiſæ, ſeu Morſus Diaboli.
TABACI, *ſeu* Nicotianæ majoris.
Thée.
Thymi.
VERBENÆ.
Veronicæ maris.
Vincæ-peruincæ.
Vſneæ.

F L O R E S.

ALTHÆÆ.
Anethi.
Anthos, *ſeu* Roriſmarini hortenſis.
Arantiorum.
BETONICÆ.
Borraginis.
Bugloſſi.

CAlendulæ.
Caprifolij.
Centaurij minoris.
Chamæmeli.
Cheyri, *vel* Keyri, *seu* Leucoij lutej.
Citri.
Croci.
DIctamni Cretici.
Echij.
Euphrasiæ.
GEnistæ.
Granatorum, *seu* Balaustium.
HYperici.
IVnci odorati, cum summitate cauliculi, *seu* Schœnāthū vulgare.
LAvendulæ.
Liliorum alborum.
Conuallium.
MAtricariæ.
Meliloti.
NVcis iuglandis, *aliàs* Iúli.
Nymphææ, *seu* Nenupharis, fl. albis.
ORigani.
PApaveris rhœados, *seu* erratici.
Pedis cati, *seu* Hispidulæ.
Persicorum.
Polij montani.
Pœoniæ vtriusque.
Pulegij.
ROsarum rubrarum, *seu* Pruvinátum.
Silvestrium, *seu* Caninarum.
SAlviæ.
Sambuci.
Scabiosæ.
Scordij.
Spicæ Celticæ.
Stœchados Arabicæ.
Citrinæ, *seu* Amaráti lutej.
THymi.
Tiliæ fœminæ.
Tussilaginis.
VErbasci, *seu* Thapsi barbati.
Violarum.
Virgæ aureæ, *seu* Consolidæ Sarracenicæ.

SEMINA

SEMINA.
Acetoſæ.
Agni caſti.
Althææ.
Ammeos.
Amomi.
Anethi.
Aniſi.
Apij.
Aquilegiæ.
Arantiorum.
Aſari.
Aſparagi.
Atriplicis.
BArdanæ, *ſeu* Lappæ majoris.
Bombacis, *ſeu* Goſſypij.
CArdamomi majoris.
Minoris.
Carduj benedicti.
Carthami, *ſeu* Cnici ſativi.
Carúj, *ſiue* Cumini pratenſis.
Ciceris rubri.
Citri.
Citrulli, *ſeu* Anguriæ.
Contra vermes, *ſeu* ſeminis ſancti, *aut* Abſynthij Santonici.
Coriandri.
Cucumeris.
Cucurbitæ.
Cumìni.
Cuſcutæ.
Cydoniorum.
DAuci Cretici.
EBuli.
Endiviæ.
FAbæ.
Fœniculi.
Fœnugræci.
Fraxini, *ſeu* Lingua avis.
Fumariæ.
GEniſtæ.
HEderæ.
Hordej.
Hormini.
Hyoſcyami albi.
Hyperici.
LActucæ.
Leviſtici.
Lini.
MAlvæ.
Melonum.
Meſpilorum nuclej.

Milij.
Solis, *seu* Lithospermi.
Napi sylvestris, *seu* Buniadis.
Nasturtij.
Nigellæ Romanæ, *seu* Melanthij.
Ocimi, *seu* Basilici.
Orobi, *seu* Ervi.
Papaveris albi.
Petroselini Macedonici.
Plantaginis.
Pœoniæ maris.
Portulacæ.
Psyllij.
Rutæ.
Sambuci.
Saxifragæ.
Seseleos Massiliensis.
Sinapi.
Staphis-agriæ.
Thlaspeos.
Violarum.
Vrticæ.

Frvctvs, et Baccæ.

Alkekengi, *seu* Halicacabi.
Amygdalæ dulces.
Amaræ.
Anacardia.
Ben granum, *seu* Balanus myrepsica, *aut* Glans vnguentaria.
Berberis, *seu* Oxyacanthæ.
Bombacis, *seu* Gossypij.
Caphé.
Cappares.
Carpobalsamum.
Caryophylli, *seu* Anthophylli.
Cassia fistula, *seu* Siliqua Ægyptia.
Cerasa acidula passa.
Colocynthis.
Cubebæ.
Cupressi nux.
Cynorrhodi, *seu* Cynosbati.
Dactyli, *seu* Palmulæ.
Ebuli baccæ.
Ficus, *seu* Caricæ.
Glandium calyces, *seu* cupulæ.
Granatorum.
Hederæ baccæ.

Ivjubæ.

Ivjubæ.
Iuniperi baccæ.
Lauri baccæ.
Lentes.
Lupini.
Myrobalani Bellericæ.
Chebulæ.
Citrinæ.
Emblicæ.
Indæ.
Myrtilli.
Nvx moſchata, & Macis.
Vomica.
Papaveris capita, *ſeu* Codiæ.
Paſſulæ majores, *ſeu* Damaſcenæ.
Minores, *ſeu* Corinthiæ.
Perſicorum nuclej.
Pinej nuclej, *ſeu* Pineoli.
Piper album.
Longum.
Nigrum.
Piſtacia, *ſeu* Fiſtici.
Pruna Damaſcena.
Rhamni cathartici baccæ.
Ribes, *ſeu* Ribeſia.
Sambuci baccæ.
Sebeſten, *ſeu* Myxa.
Sumach, *ſeu* Rhus.
Tamarindi.

LIGNA.

Agallochum, *ſeu* Xyloaloë, *aut* lignũ aloës.
Aſpalathus.
Colubrinum lignum.
Gvajacum, *ſeu* lignum ſanctum.
Lentiſcinum lignum.
Nephriticum lignum.
Rhodium lignum.
Santalum album.
Citrinum,
Rubrum.
Saſſafras.
Viſcum quercinum, cum folijs & baccis.
Xylobalſamum.

CORTICES.

Arantiorum.

Cassia lignea vulgaris.
Aromatica, *seu* Caryophyllata.
Castanearum cortex.
Cinnamomum.
Citri cortex.
Fraxini.
Granatorum cortex, *sive* Malicorium, *aut* Psidium.
Guajaci cortex.
Kina-kina, *seu* Cortex febrifugus Peruvianus.
Nucum putamina, cum Nauci.
Sambuci caulium ac radicum interior cortex.
Tamarisci cortex.
Thuris cortex, *seu* Thymiama.

FARINÆ.

Fabarum.
Fœnugræci.
Hordej.
Lentium.
Lini.
Lupinorum.
Orobi.

HUC PERTINENT

Amylum.
Bryoniæ fecula.
Cucumeris agrestis fecula.
Ireos nostratis fecula.
Serpentariæ gersa.

SUCCI LIQUIDI.

Berberis.
Granatorum.
Limonum.
Ribes.
Rosarum pallidarum.
Rubrarum.

SUCCI CONCRETI.

Absinthij.
Acaciæ nostratis.
Veræ.
Aloë hepatica.
Zocotrina, *seu* Soccotrina, *aut* è vesica.

Cucu

Cucumeris asinini, *seu* Elaterium.
Eupatorij Mesuæ.
Gutta gamba, *seu* Gũmi gotta, *seu* Gummi Indicum, *seu* Chrysopos.
Glycyrrhizæ albus.
Niger.
Hypocistidis.
Papaveris { Opium. Meconiũ.
Saccharum album.
Sacchar. Cantũ { *Album*, seu *Crystallinũ.* *Rubrum.*
Rubrum.
Scammonium.

LIQVORES, RESINÆ, ET GVMMI.

Ammoniacũ gummi.
Arabicum gummi.
Assa fœtida.
Balsamum Arabicum, *seu* album, *aut* Opobalsamum.
Peruvianum.
Tolutanum.
Bdellium.
Benjoin, *seu* Assa dulcis.
Caphura, *seu* Camphora.
Caranna gummi.
Colophonia.
Elemi gummi.
Euphorbium.
Galbanum.
Hederæ gummi.
Lacca.
Ladanum.
Liquidambar.
Manna.
Mastiche, *sive* Lentisci gummi.
Myrrha.
Olibanum.
Opopanax.
Petroleum.
Pini gummi liquidum.
Concretum.
Pix alba, *sive* Burgũdiaca.
Nigra.
Navalis.
Resina abietis.
Terebinthi, *seu* Cypria.

Sagapenum, *seu* Serapinum.
Sandaracha Arabum, *seu* Vernix, gummi juniperi.
Sanguis draconis verus.
Factitius.
Sarcocolla.
Styrax calamita.
Liquidus.
Tacamahaca gummi.
Terebinthina vulgaris liquida, ex Abiete.
Chia.
Thus vulgare.
Tragacanthum.

EXCREMENTITIÆ STIRPIVM PARTES.

Agaricum.
Bedegar Officinarum, *seu* Spongiola Cynorrhodi.
Gallæ.
Kermes, *seu* Coccus baphicus, *aut* Granum tinctorium.
Spongia ſambuci, *seu* Auricula Iudæ.
Vlmi.

CLASSIS SECVNDA.

De Mineralibus, Terreiſve Corporibus, cum Marinis aliquot, & Ambiguis.

Æris flos.
Squamma.
Ærugo raſilis, *seu* Viride æris.
Æs uſtum.
Aëtites lapis.
Alumen plumoſum, *seu* Amiantum.
Rupis, *seu* Rochæ.
Sciſſile.
Vſtum.

Amba

Ambarum griſeum, *ſeu* cineritium.
Amethyſtus gemma.
Antimonium, *ſeu* Stibium.
Argenti folia, *ſeu* bracteolæ.
Argentum vivum, *ſeu* Hydrargyrum, *aut* Mercurius.
Armenus lapis.
Arſenicum album.
Citrinum, *ſeu* Auripigmẽtum.
Rubeum, *ſeu* Sandaracha Græcorum.
Auri folia, *ſeu* bracteolæ.
BItumen Iudaïcum, *ſeu* Aſphaltum.
Blatta Byzantia, *ſeu* Vnguis odoratus.
Bolus Armena, *vel* Orientalis.
Borax, *vel* Chryſocolla factitia.
CAdmia lapidoſa, *ſeu* Lapis calaminaris.
Ceruſa.
Chalybs præparatus.
Chalcitis mineralis.
Cinnabaris nativa, *ſeu* mineralis.
Factitia vulgaris.
Corallum præparatum album.
Rubrum.
Creta.
Cryſtallus calcinata.
Cyaneus lapis, *ſeu* Lapis Lazuli.
DEntali, *vel* Dentalium.
ENtali, *vel* Antalium.
GAgates lapis.
Granatus gemma.
Gypſum.
HÆmatites.
Hyacinthus gemma.
IAſpis.
Iudaicus lapis.
LIthargyrus argenti.
Auri.
Lyncis lapis.
MAgnes lapis.

Minium.
Nephriticus lapis.
Osteocolla.
Plumbum uſtum.
Pompholyx, *ſeu* Tuthia æriſuſorum, *aut* Nihili album.
Pumes.
Pyrites, *ſeu* Marcaſita.
Rubinus gemma.
Sal Armoniacum.
Gemmæ.
Nitrum, *ſive* Halinitrum.
Sapphirus gemma.
Sarda, *ſeu* Sardius, *aut* Carneolus.
Smaragdus gemma.
Sperma ceti, *ſeu* Ambra ſubalbida.
Succinum album, *ſeu* Karabe.
Citrinum, *ſeu* Flavum.
Sulfur.
Tartarum.
Terra Lemnia, *ſeu* Sigillata.
Vitriolum album.
Cyprium.
Hungaricū.
Romanum.
Umbilicus marinus.

CLASSIS TERTIA.

De Animalibus, eorúmque tam Partibus, quàm Excrementis.

Alces ungula.
Apri dentes.
Bezoardicus lapis Occidentalis.
Orientalis.
Cancrorum fluviatilium Oculi, *ſeu* lapilli.
Pulvis.
Cantharides.

Caſto


Castoreum.
Cera alba.
Flava.
Cervi Cornu.
Os de corde.
Priapus.
Sevum, & Medulla.
Ebur, *seu* Dens Elephanti.
Vstum, *seu* Spodium vulgi.
Gallinæ ventriculi tunica interior.
Hippopotami dentes.
Hirci sanguis præparatus.
Hirci, & Capræ sevum.
Hominis axungia.
Cranium non humatum.
Ichthyocolla.
Leporis coagulum.
Lucij mandibulæ præparatæ.
Lumbrici terrestres præparati.
Lupi jecur præparatum.
Intestina præparata.
Margaritæ, *seu* perlæ.
Mater perlarum.
Mel.
Millepedæ, *seu* Aselli, *aut* Onisci præparati.
Moschus.
Mumia.
Oesypus, *seu* Lana succida.
Ovorum testæ calcinatæ.
Pavonis stercus.
Porci, *vel* suis axungia.
Propolis, *seu* Cera virginea.
Scincus.
Sepiæ testa, *seu* os.
Sericum.
Serpentis spolium.
Spongia marina.
Tauri fel.
Viperæ axungia.

Vulpis

Vulpis pulmones præparati.

Vrſi adeps.

Zibethum.



CAPVT II.

De Simplicibus arte præparatis.

QVANDOQVIDEM Simplicium non pauca, antequàm in uſum veniant, commodè præparari debent, potiores ſingulorum præparationes heic deſignare non dubitamus, primò Vegetabilium, mox Mineralium, tandémque Animalium.

ARTICVLVS I.

Vegetabilia præparata.

ALOE, ſive Zocotrina ſive hepatica, ſi pura fuerit, nullâ indiget præparatione. Heterogeneis verò permixta, non aquâ, ſed ſpiritu vini ſolvatur, coletur, ac per humiditatis evaporationem ad lenem cinerum calorem exiccetur. Si Aloë minùs purgans, ſed magis roborans optetur, aquâ lavandam, paulo pòſt per inclinationem effundendâ, cenſebat Galenus, quâ de re tamenhodie non abs re litigatur. Aloës lectiſſimæ ſolutio in roſarum pallidarum, aut violarum ſive diluto, ſive ſucco depurato atque filtrato, ſi poſtea

leni

ſeni Solis aut cinerum calore exiccetur, imbutio potiùs Aloës fuerit quàm lotio : quo pacto Aloë evadit tum Roſata, tum Violata.

AMYLVM, Subtiliſſimè pulveriſandum, ac per incerniculum trajiciendum; poſtmodùm aquâ puriſſimâ abluendum & ſiccandum.

ARI RADICES, Vino albo macerandæ per horas 24. poſteà lento igne per evaporationem exiccandæ.

COLOCYNTHIDOS præparatio ſunt Trochiſci alhandal ſuo loco deſcripti. Alij pulpam Colocynthidos ſuccis acidis immergunt ac coquunt, vt miteſcat.

CORIANDRVM & CVMINVM: Exiccanda ſolùm, minimè verò aceto maceranda, niſi admodum ſint recentia.

ELATERIVM, Cùm ſemel inſpiſſatum eſt, nullâ novâ præparatione opus habet. Ratio verò ipſum mox ab initio depurandi conſiſtit in hoc, vt ſuccus è fructu maturo Cucumeris aſinini recèns expreſſus, in Balneo Mariæ digeratur, donec clarefiat: hinc per filtrationem à fecibus ſeparetur : tandémque inſpiſſetur in maſſam paſtillorum ſpecie in vaſculo vitreo porrò ſervandam.

ESVLA, ſaltem CORTEX RADICIS, Infundendus primò per horas 24. in aceto optimo, quod poſtea blando calore in auras ſenſim diſſipetur, ut exiccetur Cortex prædictus : qui deinde in ſero la-

ctis per idem ſpatium temporis infundatur, ſero ter interim mutato.

EVPHORBIVM tenuiſſimè pulueriſetur, ac ſuper porphyrite lævigetur, adjectâ olei amygdalarum dulcium q. ſ. vt in maſſam coëat, intra pomi vel citrij vel cydonij cavum ponendam: quæ poma paſtâ obvoluta coquuntur in clibano. Demum eximatur Euphorbium, & vaſculo vitreo excipiatur ad vſus.

GVMMATA depurantur ab heterogeneis admixtis, ſolvendo ipſa in liquore aqueo calido, vino, aceto, &c. Solutio verò coletur, exprimatur, lento calore inſpiſſetur.

GVTTA GAMBA, Vnâ & alterâ lotione præparatur, vt emeticâ facultate exuatur, & mitiùs purget.

HELLEBORVS, ſiquâ correctione egere videatur: macerandæ veniunt fibræ radicum ipſius in ſucco cydoniorum, exiccandæ poſtea per ſucci evaporationem. Vel extractum è radicibus comparetur, eo modo qui in Appendice Chémica exprimitur.

LACCA, terenda primò craſſiuſculè, & in aqua ſimplici lavanda, vt à quiſquiliis liberetur, mox autem ſiccanda. Tunc verò Decoctum ſequens debet eſſe in promtu:

℞ Radicis ariſtolochiæ longæ taleolatim inciſæ ℥. j. aquæ fontis ℥. x. Coquantur ad tertiæ partis conſumtionem. Colatura calidè ſuperfundatur ſupra Schœnanthi minutim inciſi ℥. j. Macerentur unà per horas

horas 24. ſupra cineres calentes in vaſe terreo operculato. Poſtmodùm coctione lentâ reducantur ad remanentiam ℥. iij. ac percolentur.

Colaturâ huiuſcemodi, Laccæ ſelectæ ſubtiliſſimè denuò tritæ ℥.iiij.macerentur ac digerantur in loco calido per horas 24. Poſtridie evaporentur lentè ſupra cineres calentes,tandémque Lacca in parvos trochiſcos efformetur.

MEZEREI FOLIA, Maceranda (ſicut de Eſula antè diximus) in aceto generoſo per horas 24. quod poſtea lentè exiccandum, vel ſi libeat, effundendum.

MYRRHA aliis ſpeciebus permiſcenda, pulveranda ſolùm, ſi pura fuerit; ſi verò minùs pura, vino ſolvenda ac paululum coquenda. Vt verò totaliter ſolvatur, optimè res procedet in Spiritu Vini.

OLEVM ad externa medicamenta lavari ſolet, ubi quæpiam ſalſedo aut mordacitas in ipſo ſuſpecta eſt, quam auferre conveniat: quo conſilio Cera etiam, Pix, ac Reſinæ de acrimonia ſuſpectâ, iterum atque iterum lavari debent.

OPIVM & MECONIVM, Cultro nonnihil calente ſcindantur in tenues taleolas, ferreæ laminæ calidiuſculæ imponendas, ſed ſubinde invertendas, ne adurantur, aut æquo citiùs exiccentur. Siccatæ in pulverem reducantur, qui diſſolvatur in exigua copia calentis aquæ, ſpiritûs ſulfuris aut vitrioli paucis guttis acuatæ. Maneant ſimul in fictili vitreato

per horas iij. aut iiij. ad calorem moderatum. Poſteà per linteum denſius calidè percolentur. Expreſſum in aliud fictile vitreatum fundo latiore præditum effundatur, tandémque ad vaporem aquæ calentis exhalare permittatur, donec in pulverem denuò redigi poſſit.

RESINÆ, & GVMMI-RESINÆ. Primæ quidem in oleaginoſis ſemper liquandæ, & per ſetaceum trajiciendæ. Hæ verò modò in aqueis, modò in oleaginoſis veniunt diſſolvendæ, rurſuſque coagulandæ.

SCAMMONIVM tritum, optimo Vini ſpiritu ad eminentiam 4. digitorum obruitur, atque in Balneo Mariæ digeritur, donec ſolutum fuerit; filtratur; abſtractóque Vini ſpiritu, in Extracti formam, aut etiam Reſinæ tranſit, quæ Diagrydij nomine donanda venit. Corrigitur etiam Scammonium fumo vel ſuffitu ſulfuris, per lentum ignem excitato, ita tamen vt ſcammonium ab ipſo minimè liquefiat, tuncque vocatur Diagrydium ſulfuratum.

SCILLÆ ſuccus hac ratione extrahitur. Integer Scillæ bulbus ſub cineribus calidis digeritur, poſt digeſtionem cultello ligneo aut eburneo inciditur, inque valido ſacculo cannabino ſubjicitur torculari inter aſſulas ligneas calefactas.

SEMINIS CONTRA VERMES præparatio in eo conſiſtit, vt probè priùs mundatum, maceretur per horas ij. aut iij. in aceto generoſo, vel in

ſucco

ſucco limonum depurato : poſtmodùm liquore per inclinationem effuſo, exiccetur ſemen.

TEREBINTHINA FRIABILIS fit, coquendo Terebinthinæ ℔. j. in aquæ ℔. xxiv. Sic enim ſuo ſpiritu & oleo orbata odorem amittit, & inſpiſſatur, ita ut in pulverem abire poſſit.

ARTICVLVS II.

Mineralia præparata.

ALVMEN, ſiquando VSTVM expetatur, ſuper patella ferrea, aut ſuper imbrice terreo vitrato uri debet, donec totum efferbuerit, nec ulteriùs ſpumeſcat.

BOLVS ARMENA, non aliâ præparatione opus habet, quàm ut heterogeneis, ſiquæ adſint, manuum operâ liberetur.

CERVSA, primùm aquâ fontis aliquoties abluenda, in medicamentis præſertim ophthalmicis, tandémque roſaceâ.

CHALCITIDIS parandæ ratio eſt, vt Vitriolum Martiale, quale eſt Viride, in olla cruda operculata, ad colorem aut cineritium, aut flavum, aut rubrum leniter calcinetur.

CHALYBS Aceto præparatur, dum limaturam ipſius in patella ferrea, aceto acerrimo octies irroramus & exiccamus; vel cum aceti ſtillatitij ſ. q. coqui-

mus, donec in fundo vaſis læviuſcula, & quaſi ſoluta ipſo tactu deprehendatur: tunc exiccata, calcinanda parumper ac recondenda.

CHALYBS APERITIVVS. Chalybis ſcobs aquâ diu multumque abluitur, & exiccatur: deinde cum ſucco limonum teritur, additis aliquot Spiritus aciduli Sulfuris guttis, iterumque ſucco limonum lavatur & teritur, ac in pollinem redigitur.

GYPSVM in crucibulo uritur, donec inſtar nivis candidum, læve ac friabile evadat.

LAPIDES tam pretioſi, ſeu gemmæ, quàm non pretioſi, ſive fuerint duri, ſive molles, teruntur, ac ſuper porphyrite cum liquore unicuique proprio lævigantur: cuius generis ſunt, Carneolus, Cryſtallus, Hæmatites, Lapis Iudaïcus, Magnes, Rubinus, Sapphyrus, Smaragdus. Eandem quoque præparationem requirunt nonnulla alia corpora dura, qualia ſunt Blatta Bizantia, Corallia alba & rubra, Margaritæ, Mater Perlarum, Oculi cancrorum.

LAPIS CALAMINARIS. Lavatur, teritur in farinam, ignitur, calcinatúrque in crucibulo, extinguitur aceto fortiſſimo, abluitur aquâ dulci, ſiccatur, lævigatúrque.

LAPIS LAZVLI ſubtiliſſimè tritus, in phiala aquâ fontis ſemiplena per horæ quadrantem probè agitando lavatur: ubi pulvis reſederit, aqua per inclinationem effunditur, idémque labor duodecies repetitur, ſex horarum morâ inter ſingulas lotiones interpoſitâ:

terpoſitâ:tandem ter aut quater aquâ boraginis lavatur, ac in pulverem impalpabilem ſupra porphyriten redigitur. Aliquando ſolet etiam uri & extingui, quando ſcilicet facultas emetica purgánſque ipſi auferenda venit, ſuperſtite cardiacâ ac roborante.

LITHARGYRVS utraque teritur ſubtiliſſimè, tum aquâ affusâ lavatur ſemel atque iterum: ſubſtantia ſubtilior cum aqua permiſta, ſubſidere ſinenda, eáque pulveris formâ in fundo poſtmodum inventa, ſuper marmore læviganda.

MARTIS Purificatio fit, ſumendo ipſius in lamellas aut in virgulas digiti majoris craſſitudine redacti, *partem* j. Carbonum ſalicis aut tiliæ pulverat. & raſuræ cornu vel ungulæ bovis, *an. partem* ß. Stratificentur in vaſe, quod poſtea probè claudatur, ac in furno anemio exponatur igni fortiſſimo per horas 5. aut 6.

MERCVRII Purificatio inſtituitur, ipſum eliciendo ex Cinnabari per retortam, atque ita revivificando. *Item*, Mercurius in vitro obturato, addito Spiritu vini, fortiter agitatur, donec nigredo ad latera vaſis ſeparetur: & quò ſæpius huiuſmodi agitatio iteratur, eò purior etiam Mercurius colligitur. Exploratur verò puritas bonitáſque Mercurij, ſi ipſius parva portio in cochleari argenteo igni expoſita, maculam flavam poſt ſe relinquat, non autem nigram, nec cineritiam.

NITRI Purificatio fit per cryſtalliſationem. Solvitur

vitur nimirum igne lento, in triplo vel quadruplo aquæ pluviæ, quæ postea filtratur, ac demum in cella vinaria crystallisatur. Aqua verò per inclinationem in pelvim effusa, evaporetur ad tertiæ partis consumtionem, iterúmque ad crystallisandum exponatur. Crystalli siccentur ad usum.

PILARVM MARINARVM, necnon SPONGIARVM præparatio fit, ipsas torrefaciendo, vt in pulverem redigi possint.

PLVMBI Purificatio fit, fundendo ipsum in cochleari ferreo, móxque dum fluit injiciendo ceræ frustula, vel aliquid axungiæ, vt efflagret. Post deflagrationem verò, scoria supernatans decutiatur virgulâ ferreâ, iterando frustulorum ceræ, vel axungiæ injectionem, donec nihil scoriæ ampliùs superfluitet, túmque in aquam calentem effundatur. Eodem modo purificatur & STANNVM.

POMPHOLYX, seu TVTHIA, præparatur ut Lapis Calaminaris seu Cadmia. Postea verò linteolo mundo ac modicè raro excepta, agitatur in vase aquâ limpidâ pleno, quò ejus tenuior ac utilior pars in aquam effluat, remanente crassiore, impuriore & inutili intra linteum. Vbi resederit pars illa tenuis, aqua effunditur, in aliáque idem opus repetitur, donec utilis nihil maneat intra nodulum; tum denique siccatur, lævigatur, & cum aqua rosacea in trochiscos efformatur.

SAL ARMONIACVM purificatur, pulverando

rando ipſius ℔. j. atque diſſolvendo in aquæ pluviæ ℔. iij. in cucurbita ad calorem arenæ: ſolutio filtratur per chartam emporeticam, evaporatúrque ad ſiccitatem.

STIBIVM pro Vnguento Ophthalmico ita præparatur: Reductum in pollinem tenuiſſimum vaſi fictili amplo minimè plumbato inditur, calcinatúrque lentè ac cautè accenſis carbonibus, donec omnis ſulfurea mephytis exhalârit. Calx denuò in pollinem redigitur, ſicque ℥. iiij. illius macerantur per trihorium in fictili cooperto, cum Vini albi veteris ℥. ij. Poſtmodum vino evaporato Stibium exiccatur, ínque lactis muliebris ℥. ij. ſimiliter maceratur. Evaporato lacte, novum affundendum, macerandum denuò, ac evaporandum. Tandem exiccatus pulvis, aquarum roſarum & fœniculi, *an. ſ. q.* novies aut decies ablui debet in mortario lapideo.

SVCCINVM ſeu KARABE, teritur, Viníque ſpiritu immergitur, qui mox deſuper accenditur, ſemper agitando ſpathulâ. Hoc quater repetitur. Humiditas igne ſeparatur. Reſiduum probè ſiccatum denuò pulveratur.

SVLFVR VIVVM purum nullâ indiget præparatione: impurum teritur, abluitur vino albo, vel ſpiritu vini, vel aceto: demum exiccatur.

TARTARVM ad uſus internos præparatur per cryſtalliſationem, túncque Cremor, aut cryſtalli tartari indigitantur. Pulveriſatur nimirum Tartarum:

D poſt

pòſt diſſolvitur in aqua multa , mediante coctura. Hinc ab inhærentibus ſordibus per colaturam aut filtrationem liberatur : tandémque in Cryſtallos redigitur.

VENERIS VSTIO, ſeu ÆS VSTVM fit, ſi Venus in laminas tenuiſſimas redacta candefiat, ínque urina extinguatur. Poſteà ſtratificetur cum duplo ſulfuris pulvere, in fictili amplo , unáque reverberentur ad omnimodam deflagrationem ſulfuris. Tundatur in pulverem, qui miſtus cum ſulfure trito, (ita vt ad æris ℔. j. ſumantur ſulfuris ℥. ij.) calcinetur, agitando continuò rudiculâ ferreâ , ad conflagrationem fulfuris. Hácque forti calcinatione pulvis iſte tandem redigetur in Crocum rubicundum nullâ lotione deinceps edulcorandum.

VITRIOLVM purificatur , ſolvendo in aqua pluvia, ſolutúmque percolando. Colatum digeſtioni in Balneo Mariæ exponitur per dies 8. aut 10. ſicque ad fundum feces ſecedunt, quibus filtratione ſeparatis, reponitur denuò in digeſtione donec feces nullas ampliùs emittat. Celebratâ rurſus filtratione, & evaporatâ mediâ parte, reliquam cryſtalliſari permittendum: ſupernatantem aquam evapora, rurſúmque cryſtalliſa, repetendo iſtud negotij donec totum fuerit in cryſtallos mutatum.

VITRIOLVM ALBVM emeticum paratur, diſſolvendo Vitriolum album aquâ pluviâ, vel rore Majali : deinde ſolutum colando per pannum , aut

etiam

etiam filtrando. Poſtmodum evaporatur, cryſtalliſatur, exiccatur ad Solem, ter vel quater idem laboris repetendo.

ARTICVLVS III.

Animalia Præparata.

ADIPES ac MEDVLLÆ, Ex Animalibus exemtæ levi lotione à ſanguine ſuperfluo purgentur, ab humiditate liberata concidantur, in mortario tundantur, liquentur calore mediocri citra ebullitionem, colentur, ſaliantur ne putreſcant, aut rancida evadant: tum recondantur, & ab aëre humido præſerventur, duplici chartâ, vel pergamenâ vaſi ſuperpoſitâ.

CANTHARIDES, Ad aceti quàm acerrimi ferventis vaporem detineantur, quoüſque tali ſuffitu necentur. Poſteà aëre exiccandæ, ac fictili recondendæ, quod pergamenâ chartâ probè claudatur.

CERA, ad Emplaſtra & Vnguenta lavatur, ut acrimonia à melle contracta eluatur: priùs autem liquefit & colatur, ut heterogenea ſeparentur.

CORNV-CERVI modò uſtum vſurpatur, modò crudum, quod uſto omnino præſtat: quandoquidem uſtione & calcinatione tam vulgari quàm philoſophicâ vires ipſius non parum infringuntur. Crudum itaque ſubtiliter raſpetur, deinde in formam

pulveris redigatur. Laudatur idem tum in aqua decoctum, tum in gelatinam bulliendo redactum.

CRANIVM HOMINIS, necnon VNGVLA ALCES, non dissimiles præparationes sortiuntur. Cranij hominis suspensi optimè mundati rasura contundatur, postmodum affusâ decocti pœoniæ totius, aut visci quercini, aut florum liliorum convallium, s. q. irroretur, impastetúrque in mortario: hinc exiccetur, denuóque pulverisata eodem decocto iterum affuso impastetur: quod repetatur etiam tertiâ quartáque vice. Pulvis subtilissimus, servetur ad usum. Eodem quoque modo procedendum in præparanda Vngula Alces.

DENTIVM APRORVM, & MANDIBVLARVM LVCII præparatio, à præcedente non discrepat. Pulverisentur impastentúrque decocto sufficienti Carduj B. Mariæ totius. Exiccata verò, eodem decocto denuò impastentur: idem quater factitetur: postremò in tenuissimum pollinem redigantur.

EBVR terendum in pulverem subtilissimum, qui ipse recentis decocti eboris affusione, novis viribus imprægnetur exaltetúrque: quanquam calcinatione seu vulgari, seu philosophicâ præparatum, non sit omnibus viribus destitutum, nec penitus repudiandum.

ERINACEORVM, & LEPORIS, item PVLLORVM HIRVNDINVM: necnon SCORPIONVM, & VIPERARVM præparationes heic breviter expedimus. Duo primi deglubuntur,

exente

exenterantur, vinóque abluuntur. Hirundinum pulli deplumantur, exenterantur, aquâ aut vino lavantur. Viperæ excoriantur, capite & caudâ truncantur, exenterantur, abluuntúrque. Scorpiones integri ſumuntur. Poſtremò horum ſinguli cucurbitæ vitreæ includi debent, vt leni Balnej calore exiccentur, tandémque pulveriſentur. At prædictorum omnium calcinationes minùs laudamus.

HEPAR & INTESTINA LVPI: PVLMO VVLPIS: VESICA APRI: TVNICA VENTRICVLI GALLINARVM: & LVMBRICI. Ter aut quater aquâ primùm abluantur, mox vino auſtero, vel ſpirituoſo myrrhato macerentur: poſtmodum vel in furno, vel in Balneo Mariæ optimè exiccanda ſunt: imò ſi libet, myrrhæ polline conſpergenda, & aliquatenus condienda: Denique pro re nata pulveriſanda. *Nota*, Veſicam apri ante macerationem in vino, à pinguedine mundari, ac minutim incidi debere.

MILLEPEDÆ, ſeu Aſelli, triti infundantur in vino albo per noctem, vel etiam in malvatico: quod deinde lento calore ad omnimodam ſiccitatem exhalet. Calcinatio verò ipſorum non videtur facilè admittenda.

OESYPVS fit longâ ac frequenti lotione lanæ ſuccidæ in aqua fervente, ac pinguedinis ſupernatantis collectione, ut poſt Nicol. Myrepſum docent Auguſtani, Ioan. Duboys, & alij.

SANGVIS HIRCI, ex ipſo, per menſem paſto malvis, pimpinella, petroſel. apio, myricâ, &c. eductus, abjecto ſero, ſiccandus blando calore furni arenæ, & pulverandus.

SERICVM, modò crudum minutiſſimè inciditur; modò debitè toſtum, & ſolutione tragacanthi imbutum pulveratur.

CAPVT III.

De Simplicium nonnullorum ſuccedaneis.

SVCCEDANEA, ſeu Antiballomena, ſunt Simplicia, quæ loco aliorum, ſiquando deſiderentur, ſubſtitui commodè poſſunt, cùm ſint ipſis facultate ac ſubſtantiâ ſimilia. Itaque

SVBSTITVVNTVR

Aſpalatho { Santalum citrinum.
Angelica. *Vel* Zedoaria. } In iis compoſitionibus, in quibus præter Aſpalathum, Santalum quoque citrinum requiritur. }

Ben { Albo, Carlinæ radix.
Rubro, Tormentillæ radix. }

Calamo aromatico vero { Angelica.
Vel
Acorus verus, *ſeu* Calamus aromaticus Officinarum. }

Carpobal

Carpobalſamo, Cubebæ.
Caſſiæ ligneæ, Cinnamomum.
Ligno aloës, Santalum citrinum.


Opobalſamo	Oleum nucis moſchatæ. *Vel* Terebinthina Cypria.
Sanguini draconis,	Acacia.
Spodio	Ebur ſincerum, *Vel* philoſophicè calcinatum.

Styraci liquido, Styrax calamita.

Xylobalſamo	Lignum aloës. *Vel* Santalum citrinum.



PARTIS



PARTIS PRIORIS

SECTIO II.

De nuncupationibus plura ſimplicia vulgò complectentibus: necnon De Ponderibus Medicinalibus.

CAPVT I.

Nuncupationes plura Simplicia vulgò complectentes.

Quatuor herbæ emollientes.	Althæa. Malva. Parietaria. Violaria.
Quinque herbæ Capillares.	Capillus Veneris verus. Ceterach, *ſeu* Scolopendrium verum. Polytrichum, *ſeu* Trichomanes. Salvia vita, *ſeu* Ruta muraria. Scolopendrium vulgi, *ſeu* Lingua cervina.
Quinque radices aperientes, *ſeu* diureticæ.	Apij. Aſparagi. Fœniculi. Petroſelini. Ruſci, *ſeu* Bruſci.

Tres

Tres flores cordiales.
- Borraginis.
- Buglossi.
- Violarum.

Tres flores communes calidi.
- Anethi.
- Chamæmeli.
- Meliloti.

Quatuor semina calida majora.
- Anisi.
- Caruj.
- Cumini.
- Fœniculi.

Quatuor semina calida minora.
- Ammi.
- Amomi.
- Apij.
- Dauci.

Quatuor semina frigida majora.
- Citruli.
- Cucumeris.
- Cucurbitæ.
- Melonum.

Quatuor semina frigida minora.
- Cichorij.
- Endiviæ.
- Lactucæ.
- Portulacæ.

Fragmenta quinque lapidum pretiosorum.
- Granati.
- Hyacinthi.
- Sapphyri.
- Sardæ, *seu* Carneoli.
- Smaragdi.

CAPVT II.

De Ponderibus Medicinalibus.

POndera medicinalia, cum ſingulorum notis, quibus nos hac in Pharmacopœa utimur, alia non ſunt quàm ea ipſa, quibus cæteri rei medicæ Scriptores neoterici vti ſolent, quæ breviter etiam heic ob oculos poſita volumus.

GRANVM, ponduſculum eſt numulariis uſitatum, quod reliquorum ponderum medicinalium veluti baſis, (non aliter ac unitas numerorum,) hodie ſtatuitur: illud verò ſuis duabus primis literis deſignatur, gr. aut ſic g̃.

OBOLVS, aut ſemiſcriptulum, pendit grana decem, ſicque depingitur. ℈.ß.

SCRVPVLVM, aut potiùs Scriptulum, conſtat viginti granis: ejus verò nota talis eſt. ℈.j.

SEMIDRACHMA eſt ſeſquiſcriptulum, atque ita depingi ſolet. ʒ ß.

DRACHMA tribus ſcriptulis conſtat, ſicque notatur. ʒ.j.

SESQVIDRACHMA continet ſcriptula quatuor & ſemiſſem, notatúrque ʒ.i.ß.

SEMVNCIA conflatur è drachmis quatuor: ſicque deſignatur. ℥.ß.

VNCIA

VNCIA constat drachmis octo, sicque notatur. ℥.j.

SESCVNCIA pendit drachmas duodecim, notatúrque hoc pacto. ℥.i ß.

QVARTARIVS continet uncias treis, designatúrque per ℥.iij. aut quart. j.

SELIBRA pendit ℥.vj. notatúrque. ℔. ß.

LIBRA constat duodecim uncijs, designatúrque tali charactere. ℔.j.

SESQVILIBRA conflatur ex uncijs octodecim: notatúrque hisce characteribus. ℔.i ß.

Ad Pondera quoque medicinalia, aut potiùs ad mensuras referri debent Manipulus, & Pugillus.

MANIPVLVS dicitur, quantum manu arripi ac prensari potest: quæ mensura notatur literâ majusculâ M.

PVGILLVS dicitur, quantum tribus digitis in se contractis capi ac comprehendi potest: quæ mensura designatur literâ majusculâ P.


Ponderibus & Mensuris omnibus tres aliæ Notæ communes sunt, putà *ana*, *quantum satis*, & *quantum libet*.

ANA est vocula Græca, significans æqualem dosin cujusque rei antè memoratæ sumi debere: aut si nulla certa dosis expressa fuerit, tantundem saltem unius sumendum, ac cæterorum. Et hisce duabus literis minoribus hoc innuimus. an.

QVANTVM SATIS, vel quantum sufficit,

adſcribi ſolet, dum periti artificis judicio relinquitur quantitas rerum præſcriptarum: quod ipſum duabus etiam literis adſcriptis denotamus, videlicet. q. ſ.

QVANTVM LIBET aliquando, aut QVANTVM VOLVERIS imperatur, ubi quantitatem rei ſimplicis aut compoſitæ pro libitu ſumi poſſe indicamus: quod etiam duobus elementis punctatis deſignare ſolemus: videlicet q. l. aut q.v.



PARTIS PRIORIS

SECTIO III.

De Aquis tum ſtillatitijs, tum alijs: necnon De Decoctis, Vinis, & Acetis.

CAPVT I.

DE AQVIS.

ARTICVLVS I.

Aquæ Simplices.

BSYNTHII.
Acetoſæ.
Agreſtæ.
Alkekengi.
Anguriæ.
Arantiorum, *è floribus.*
Argentinæ.
Artemiſiæ.

Bardanæ.

Bardanæ.
Betonicæ.
Borraginis.
Buglossi.
Cardui benedicti.
Cerasorum acidulorum nigrorum.
Cichorij.
Endiviæ.
Euphrasiæ.
Fabarum, *è floribus.*
Fœniculi.
Fragorum, *è fructibus.*
Fumariæ.
Graminis.
Herniariæ.
Hyssopi.
Lactucæ.
Liliorũ alborũ, } *è florib.*
Lilij convalliũ. } *è florib.*
Melissæ.
Mille florum.
Nucum viridium.
Nymphææ, *è florib. albis.*
Oxytriphylli.
Papaveris rhœados.
Parietariæ.
Peculi rosarum.
Pimpinellæ.
Plantaginis.
Pœoniæ, *è floribus.*
Portulacæ.
Primulæ veris, *è floribus.*
Rosarum pallidarum, *è floribus.*
Salviæ.
Sambuci, *è floribus.*
Scabiosæ.
Scordij.
Scorzoneræ, *è radicibus.*
Solani.
Spermatis ranarum.
Succisæ.
Tiliæ, } *è floribus.*
Violarum. } *è floribus.*
Vlmariæ.

Aquæ omnes ex humidis tum plantis, tum floribus expetitæ, destillentur in Balneo Mariæ: & quotannis renoventur: verùm è siccis ac aromaticis, destillentur per refrigeratorium.

His accedunt :

Aqua Mellis, & Aqua Vitæ.

Prior, *cùm ſit varij generis, variè deſtillatur : aqua enim ſeu phlegma, ex Balneo Mariæ ; ſed vbi guttæ aceſcere incipiunt, liquor ſecundus & tertius ex igne arenæ deſtillari debent.*

Poſterior, *è veſica cuprea per anguinum tubulum prolici ſolet.*

ARTICVLVS II.

Aquæ Compoſitæ.

AQVA CINNAMOMI,

Colleg. Lugdun.

℞. Cinnamomi optimi, craſſiuſculè triti, ℔. ß.

Aquæ Meliſſæ, *pro Fœminis*, Roſarum, *pro maribus.*

Vini albi generoſi, an. ℔. i. ß.

Infundantur ſimul per horas 24. poſtmodùm alembico vitreo excepta deſtillentur ex igne cinerum gradibus caloris ſenſim adauctis, primam aquam utpote efficaciorem, à poſteriùs manante ſeorſim excipiendo.

AQVA CLARETA VVLGARIS.

℞. Spiritus Vini optimi, ℔. j.

Aquæ

Aquæ meliſſæ, *aut* roſarum, ℥. viij.
Sacchari albi, ℔. ß.
Cinnamomi interioris, ℥ ij.

Infundantur ſimul in vaſe vitreo, ſtricti orificij, probè clauſo, per horas 24. Poſteà colentur bis aut ter, per manicam Hippocratis.

AQVA IMPERIALIS
Reformata.

℞. Corticis arantiorum,
Citri ſicci, an. ℥.iiij.
Caryophyllorum.
Cinnamomi tenuis,
Nucis moſchatæ, an. ℥.ij.
Baccarum juniperi, ℥.i.ß.
Foliorum hyſſopi,
Lauri,
Meliſſæ,
Rutæ,
Salviæ,
Thymi, an. m.ß.
Acori veri,
Radicum angelicæ,
Galangæ minoris,
Zedoariæ,
Seminis majoranæ,
Ocimi, an. ℥. ß.
Florum anthos,

Calen

Calendulæ,
Lavendulæ,
Stœchados.
Tunicis, an. pug. j.

Contusis contundendis, & incisis incidendis, macerentur per triduum in aquæ borraginis & Vini generosi *æquis partibus*, ad supereminentiam trium digitorum, in alembico vitreo supra cineres calidos: deinde destillentur secundùm artem.

AQVA THERIACALIS

Emendata.

℞. Radicum Angelicæ.
Caryophyllatæ,
Petasitis,
Scorzoneræ,
Vlmariæ, an. ℥.i.ß.
Galangæ minoris,
Zedoariæ, an. ℥.ij.
Foliorum melissæ,
Succisæ, an. m. ij.
Baccarum juniperi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi electi,
Granorum kermes,
Seminis cardui benedicti,
Seminum & corticum citri, an. ℥.ß.

Macerentur digerantúrque simul omnia per quatriduum ad

ad calorem Balnei Mariæ, in

Vini albi generosi, ℔. iiij.
Aquarum cardui benedicti,
Melissæ,
Vlmariæ, an. ℔. ij.

Postmodùm celebratâ expressione forti, dissolve in ipsa,

Theriaces veteris ℥. vj.

Macerentur denuò per horas 24. ad eundem Balnei Mariæ calorem: tandémque fiat destillatio lento igne super cineribus calidis.

AQVA AD GANGRÆNAM.

I. A.

℞. Radicis aristolochiæ rotundæ in taleolas sectæ, ℥. iiij.
Sacchari albi, ℥. viij.
Vini albi, ℔. iiij. *aut* v.

Infundantur simul per horas 6. aut 7. posteà bulliant in vase figulino bene clauso, igne lento, ad tertiæ partis consumtionem.

AQVA AD SVFFVSIONEM.

D. Bauderoni.

℞. Herbarum chelidonij maioris,
Euphrasiæ,
Fœniculi,
Verbenæ, an. M. j.
Rutæ, M. ß.

Omnia recentia minutim incisa, aspergantur

Vini Malvatici, aut Apiani, aliúsve quàm optimi, ℔. i. ß.

Tum adde:

Seminum rutæ,
Seseleos Massiliensis,
Sileris montani, an. ℥. iij.
Florum anthos, pug. j.
Fellis perdicis, aut alterius animalis eiusdem naturæ, ℥. i. ß.

Destillentur in alembico vitreo super cineribus calidis, & aqua seruetur ad usum.

AQVA ALVMINOSA COMMVNIS, *D. Liebaldi.*

℞. Succorum agrestæ,
Plantaginis,
Portulacæ,
Aluminis rupei, an. ℔. j.
Albumina ovorum, Num. xij.

Mista, bacillóque probè agitata, destillentur in Balneo Mariæ.

AQVA ALVMINOSA MAGISTRALIS, *D. Fallopij.*

℞. Aquarum plantaginis,
Rosarum, an. ℔. j.
Aluminis rupei pulverati,

Mercurij ſublimati pulverati, an. ʒ. ij.

Bulliant ſimul in phiala vitrea ſupra craticulam carbonibus accenſis obſeſſam, ad medietatis conſumtionem. Sinantur reſidere per dies quinque: poſteà decantetur aqua.

AQVA DIVINA,
D. Fernel.

℞. Aquæ plantaginis, ℥. vj.
Sublimati optimi, gran. xij.

Decoquantur ſupra cineres calidos in phiala vitrea, ad medias.

AQVA VIRIDIS,
D. Hartmanni.

℞. Foliorum hyperici,
Plantaginis,
Pulegij,
Roriſmarini,
Rutæ,
Salviæ, an. M. ß.
Mellis roſati, ℥. ij.
Aluminis crudi,
Sulfuris vivi, an. ℥. j.
Florum ſambuci, ʒ. j.
Comarum ſabinæ,
Stercoris canini albi ſicci, *ſeu* albi Græci, an. ʒ. ß.

Coquantur ad conſumtionem digiti vnius tranſverſi, in

Aquæ fontis, &
Vini, an. ℔. j.

Sub finem coctionis, injice

Viridis æris, ℥. j.

Statimque ab igne remove, ac donec refrixerint, relinque: tandem colatura fiat, quæ seponatur ad usus.

AQVA BENEDICTA RVLANDI.

D. Quercetani.

℞. Croci metallorum, ℥. j.
Cinnamomi, ℥. ß.
Aquæ Cardui benedicti, ℔. ij. *aut* iij.

Macerentur per biduum aut triduum: dein transcolentur.

COLLYRIVM LANFRANCI.

+i ♃. Vini albi, ℔. j.
Aquarum plantaginis,
Rosarum, an. ℥. iij.
Auripigmenti, ʒ. ij.
Viridis æris, ʒ. j.
Aloës,
Myrrhæ, an. ℈. ij.

Pulveres subtilissimè priùs triti, liquoribus permisceantur, atque in matratio detineantur unà per biduum, ad calorem arenæ.

AQVA

AQVA FORTIS COMMVNIS.

℞. Vitrioli exſiccati, ℔. ij.
Nitri, ℔. j.

Tere ſimul, ac miſce. Deſtillentur per retortam probè loricatam, igne aperto, per gradus, in receptaculum capaciſſimum.

AQVA SECVNDA.

Ex præcedente fit, poſtquàm aurificum uſibus inſerviit.

LAC VIRGINALE.

℞. Lithargyri auri ſubtiliter pulveriſati, ℥. ij.
Aceti vini albi optimi, ℔. ß.

Miſceantur, agitentúrque, ac poſt ſpatium horarum trium filtrentur. Filtrato huic liquori, uſûs demum tempore addatur aquæ roſaceæ, vel aquæ florum fabarum, (in quibus ſalis aliquid *fuerit diſſolutum,) anatica portio, exſiſtétque mox Lac Virginale.*

CAPVT II.

De Decoctis.

PTISANA COMMVNIS.

℞. Hordei integri aquâ calidâ loti, ℥. iiij.
Aquæ fontanæ, ℔. xij.

Coquantur ad tertiæ partis consumtionem, addendo sub finem,

Liquiritiæ rasæ & contusæ, ℥. j.

DECOCTIO COMMVNIS CLYSTERIS.

℞. Foliorum betæ,
Malvarum,
Mercurialis,
Parietariæ,
Violariæ, an. M. j.
Seminis anisi,
Fœniculi, an. ʒ. ij.

Bulliant in aquæ s. q. Colatura servetur ad usum.

DECOCTIO CARMINATIVA.

℞. Seminis fœnugræci,
Lini, an. ʒ. iij.
Anisi,
Fœniculi, an. ʒ. ij.
Florum anethi,
Anthos,
Chamæmeli veri,
Meliloti, an. pug. iij.

Coquantur in aquæ s. q. ad tertiæ partis consumtionem: exprimantur, & expressum servetur ad usum.

DECOCTVM LAXATIVVM.

℞. Foliorum sennæ Orientalis mundatorum,

Poly

Polypodij querni, an. ℥. i. ß.
Pruna Damaſcena, Num. x.
Paſſularum exarillatarum, ℥. ß.
Epithymi,
Seminis aniſi, an. ʒ. ij.
Florum trium cordialium, pug. iij.
Aquæ fontis, ℔. iiij.

Coquantur omnia ex arte. Colatura ſervetur ad uſum.

DECOCTVM PECTORALE.

♃. Hordei integri electi, ℥. j.
Iujubas,
Sebeſten, an. Num. x.
Ficûs, Num. vj.
Paſſularum mundatarum, ʒ. vj.
Glycyrrhizæ, ℥. ß.
Capillorum Veneris, M. ß.

Bulliant in aquæ communis, ℔. iiij. ad medias. Colatura ſervetur ad uſum.

CAPVT III.

DE VINIS.

VINVM ABSINTHITES.

♃. Abſinthij majoris, *ſeu* vulgaris, exſiccati,
Minoris veri, an. q. v.

Injice in doliolum idoneum, ita ut ipſius quarta pars

abſinthio

absinthio sit impleta: superfunde mustum recens, ferveántque unà per aliquot dies, novum mustum subinde affundendo, quò vas semper maneat repletum, vinúmque suis à fecibus exquisitiùs repurgetur. Ebullitione peractâ, obturetur doliolum diligenter, servetúrque usui.

Eodem quoque modo parantur Euphrasiatum, Salviatum, &c. *quæ tamen parata habere, vel non, penes Pharmacopæos esto.*

VINVM CHALYBEATVM,
D. Fallopij.

+ ℞. Limaturæ chalybis aceto lotæ, colatæ, ac supra pannum exsiccatæ, ℔. j.
Pulveris caryophyllorum præstantissimorũ, ℥.ß.

Misce, & unà sine per horas 24. Posteà in vas vitreum translatis superinjice,

Vini albi generosi, *aut etiam* malvatici, ℔. viij.

Concutiantur omnia, Solique exponantur æstatis tempore per dies viij. vel x. vas subinde agitando. Quòd si fuerit hyems, servetur vas in stupha.

VINVM STIBIATVM, seu EMETICVM.

+ ℞. Croci metallorum ritè parati, ℥.ij.
Vini albi generosi, ℔. iij.

Infundantur per diem naturalem: posteà filtrentur.

CAPVT

CAPVT IV.

DE ACETIS.

ACETVM ROSACEVM.

℞. Florum rosarum rubrarum exungulatorum, & mediocriter siccatorum, ℔. j.
Aceti generosissimi, ℔. iij.

Insolentur per dies XL. *tum colentur, & reserventur in usum.*

Eodem quoque modo, eadémque proportione obseruatâ, parantur etiam alia Aceta, ut sunt Rutaceum, Sambucinum, Passulatum, &c. *quibus facilè patimur carére Officinas.*

ACETVM SCILLITICVM.
D. M.

♃. Laminarum Scillæ albæ, inter bulbi corticem & cor mediarum, repurgatarum, filo trajectarum, & vel in umbra per dies XL. siccatarum, vel in stupha per aliquot horas: postmodùm verò cultello ligneo minutim incisarum, ℔. j.
Aceti vini albi, ℔. xij.

Insolentur simul diebus XL. *in lagena vitrea stricti orificij, postea percolentur. Aut si res tantam moram non ferat, ebulliant promptè in vase terreo vitreato, exprimantur, ac recondantur in usus.*



PARTIS PRIORIS

SECTIO IV.

De Conditis, Conservis, & Rob.

CONDITVM RADICVM SYMPHYTI MAIORIS.

℞. Radicum Symphyti majoris mundatarum, lotarum, & taleolatim concisarum, ℔. j.

Macerentur primùm, mox coquantur in aquæ s.q. ad mollitiem usque: tum verò

♃. Colaturæ clarificatæ,
Sacchari albissimi, an. ℔. ij.

Quibus invicem mistis, coquantur ad Electuarij mollis consistentiam, cui injiciantur Radices coctæ, ac per diem unam in umbra exsiccatæ: túncque fiat denuò coctio mediocris, donec scilicet aquea humiditas dissipata fuerit.

Est verò alius etiam modus non minùs ingeniosus, radices hasce condiendi, ut videlicet ipsæ lotæ ac mundatæ elixentur, deinde tundantur, pérque cribrum trajiciantur: tum verò duplo saccharo, ad electuarii consistentiam cocto, excipiantur: tandem leviter adhuc coquantur, & in pyxides recondantur.

Iisdem planè artibus parantur etiam Condita aliarum Radicum, *putà*

Buglossi,

Buglossi,
Cichorij,
Enulæ Campanæ,
Eryngij,
Pœoniæ,
Petasitis,
Satyrij, *seu* Cynosorchidis,
Scorzoneræ.

Vbi tamen Notandum, *quasdam harum radicum, nominatim* Enulæ Campanæ, *quemadmodum &* Cortices *tum* citrij, *tum* arantij, *priusquàm coctionem subeant, egére multiplici infusione per quatriduum in aqua tepida, quotidie aquam mutando.*

CONSERVA MOLLIS ANTHOS.

℞. Florum Rorismarini recentium, ℔. j.
Sacchari, ℔. ij. ß.

Contundantur in pila marmorea, pistillo ligneo, affusâ paucâ eorundem florum aquâ stillatitiâ. Posteà recondantur in vase vitreo, aut terreo vitreato operto, & insolentur, ac subinde rudiculâ agitentur. Coquendum autem ante omnia saccharum, cum aqua aut decocto florum istorum, ad justam consistentiam.

Pari modo parantur quoque, verumtamen citra stillatitiæ aquæ additionem, dupláque solùm proportione sacchari ad flores,

CONSERVÆ MOLLES FLORUM.

Arantiorum,
Betonicæ,
Borraginis,
Buglossi,
Calendulæ,
Cichorij,
Euphrasiæ,
Genistæ,
Lilij convallium,
Lupulorum,
Malvæ,
Melissæ,
Nenupharis,
Pœoniæ,
Papaveris rhœados,
Primulæ veris,
Pulmonariæ,
Roris-Solis,
Rosarum Pruvinâtum,
Salviæ,
Tamarisci,
Tiliæ,
Tunicis, *seu* Caryophyllorum hortensium,
Violarum.

Item, Conserva foliorum Capilli-Veneris. *Cæterùm* Conservæ summitatum florulentarum Absinthij majoris, *&* florum Centaurij minoris, *cum triplo sacchari sunt parandæ.*

CYDONIATUM SIMPLEX.

℞. Pulpæ Cydoniorum nondum ad unguem maturorum, abjectis corticibus & seminibus, ad mollitiem usque coctorum,
Sacchari albi, an. ℔. ij.
Succi cydoniorum depurati, ℔. j.

Dissolvatur saccharum in succo cydoniorum: postmodùm coquantur unà omnia, ad Electuarij mollis consistentiam,

stentiam, quod pyxidibus ligneis excipiatur.

Eodem quoque modo paretur DIACYNORRHODON, *seu* Conserva pulpæ fructuum Cynorrhodi : *quanquam & alijs modis parari soleat, ut genuinum fructûs colorem retineat.*

CYDONIORVM GELATINA.

℞. Decocti Cydoniorum cum corticibus & seminibus per frusta incisorum, & in aquæ s. q. elixatorum, ℔. ij.
Sacchari albi, ℔. j.

Coquantur unà, clarificentur, transcolentur, & ad debitam spissitudinem bulliant, fiátque Gelatina.

ROB MVSTI, *seu* SAPA EX VVIS.

℞. Musti ex uvis albis aut rubris generosis & maturis expressi, ℔. xij.


Coque in magno vase terreo vitreato, ad consumtionem duarum tertiarum: dein per manicam Hippocratis percola, in vas idoneum reconde, ac in usus medicos asserva.

DIAMORON CVM MELLE.
D. N. P. Emendatum.

℞ Succi mororum Celsi, ℔. ß.
Rubi repentis, ℔. j.
Mellis optimi, ℥. ix.
Sapæ, ℥. iij.

Coquantur simul igne lento, in vase terreo vitreato, ad Syrupi consistentiam.

Paretur etiam DIAMORON CVM SACCHARO, *ſumendo ſaccharum loco mellis.*



PARTIS PRIORIS

SECTIO V.

De Mellitis tum *Succis*, tum *Syrupis*: Necnon *de Syrupis ſaccharatis.*

CAPVT I.

De Mellitis Succis, & Syrupis.

MEL ANTHOSATVM.

D. Rondel.

℞. Florum anthos mundatorum, ℔. j.
Mellis optimi deſpumati, ℔. iij.

Infunde, ac inſola, quantum libuerit, addendo parum aquæ florum anthos primo loco inter deſtillandum elicitæ: tandémque reconde ad uſum.

MEL MERCVRIALE.

D. Bauder.

℞. Succi mercurialis depurati,
Mellis optimi deſpumati, an. ℔. iij.

Coquantur ſimul, ut artis eſt.

MEL

MEL ROSATVM.

℞. Infuſionis roſarum rubrarum recentium exungulatarum, ter ad minimum iteratæ, ℔. ij.
Mellis optimi deſpumati, ℔. iiij.
Miſce, ac coque igne lento ad Syrupi conſiſtentiam.

MEL ROSATVM COLATVM.
D. M.

℞. Foliorum roſarum ſubrubentium,
Succi roſarum depurati, an. ℔. j. ß.
Mellis deſpumati, ℔. iij.
Miſceantur, coquantur, & colentur. Si verò folia non colentur, vocabitur MEL ROSATVM FOLIATVM.

MEL VIOLATVM.

E floribus violarum conficitur, reſectis & avulſis ipſorum viridibus calycibus & pediculis: fit autem planè ſicut Mel roſatum foliatum.

HYDROMEL SIMPLEX.
D. M.

℞. Mellis optimi, ℔. v.
Aquæ præſtantiſſimæ, ℔. XL. aut etiam L. *prout minùs, aut magis dilutum expetitur.*
Miſce, fiátque decoctio ad perfectam Mellis deſpumationem.

HYDRO

HYDROMEL VINOSVM.

I. A.

℞. Mellis albi Narbonensis optimi, ℔. v.
Aquæ fontanæ optimæ, ℔. xx. aut etiam xxv.
prout magis aut minùs vinosum expetitur.

Coquantur simul lento igne, ad tertiæ partis consumtionem, despumando intereà, donec ovum crudum injectum innatet. Tunc removeantur ab igne, & digerantur in Sole ardente, si fuerit æstas; vel in hypocausto, si fuerit hyems, idque spatio mensis unius. Colatum reconde ad usus.

OXYMEL SIMPLEX.

D. Gal.

♃. Aceti vini albi, ℔. j.
Mellis optimi, ℔. ij.
Aquæ fontanæ, ℔. iiij.

Mel & Aqua bulliant simul in vase fictili, ad aquæ consumtionem, sensim despumando: deinde addatur acetum, & percoquantur in vase terreo vitreato, ad Syrupi liquidioris consistentiam, idque ad vaporem Balnei ferventis.

Vsus tempore vel acetosius, vel mellitius reddi poterit pro re nata.

OXYMEL SCILLITICVM.

D. M.

♃. Aceti scillitici, ℔. ij.
Mellis optimi despumati, ℔. iij.

Misce,

Misce, & coque ad vaporem aquæ calentis, ut prius: paretur pro re nata, ad usus.

CAPVT II.

De Syrupis saccharatis.

ARTICVLVS I.

De Syrupis alterantibus.

OXYSACCHARVM SIMPLEX.

D. N. Myrepsi. *Emend.*

℞. Succi granatorum acidorum optimè depurati, ℥. vj.
Aceti vini albi generosi, ℥. iij.
Sacchari albi, subtilissimè pulverisati, ℥. xvj.

Misce, coquantur unà in vase fictili vitreato, ad vaporem Balnei Mariæ, in consistentiam Syrupi.

SYRVPVS ACETATVS SIMPLEX.

D. M. *Emend.*

℞. Aceti vini albi, ℔. ij. *aut* ℔. ij. ß.
Aquæ fontanæ ℥. iiij. (*vel, si fortiorem desideras, nihil.*)
Sacchari albissimi, ℔. v.

Coquantur unà in vase fictili vitreato, ad vaporem balnei, in Syrupi consistentiam.

SYRVPVS ALEXANDRINVS, *seu* ZVLAPIVM ROSATVM, *D.M. Reformatum.*

℞. Aquæ rosarum fragrantissimæ, ℥. xv. *aut* xvj.
Sacchari albissimi, vel clarificati, ad Electuarij solidi consistentiam cocti, ℔. ij.

Dissolvantur simul, simplicique istâ dissolutione citra coctionem, fiat Syrupus liquidior, seu Iulep.

Siquando verò in rem præsentem parare libeat, pro dosi una aut altera.

♃. Aquæ rosaceæ, ℥. viij.
Sacchari albi, ℥. i. ß.

Coquantur unà levi ebullitione: Fiat Iulep.

SYRVPVS DE ABSINTHIO SIMPLEX. *I. A.*

♃. Absinthij vulgaris, ℔. ß.
Infundatur primò, posteà coquatur, in
Aquæ communis, ℔. ij.
Colatura post sufficientem residentiam coquatur, cum
Mellis optimi, ℔. i. ß.
addendo subinde Vini tantillum.

SYRVPVS DE ABSINTHIO COMPOSITVS, *seu* MAIOR. D.M. *Emend.*

♃. Absinthij majoris tenuissimè concisi, ℔. ß.

Rosarum

Rosarum rubrarum, ℥. ij.
Spicæ-nardi, ʒ. iij.

Conjectis omnibus in matratium amplum, superaffunde

Vini albi veteris ac fragrantis,
Succi cydoniorum defecatissimi, an. ℔. i. ß.

Vase probè clauso, macerentur per horas 24. in calore convenienti. Colaturâ & expressione factâ, transvasentur in phialam, donec per residentiam defecentur: Tandémque in vase fictili percoquantur in Syrupi consistentiam, cum

Sacchari optimi, ℔. ij. ß.

SYRVPVS CAPILLI VENERIS SIMPLEX

Emend.

℞. Capilli Veneris recentis, ℔. j.
Aquæ calentis, ℔. iiij.

Macerentur tepidè per horas vj. aut vij. in fictili vase: posteà citra fervefactionem colentur. Colaturæ adde,

Sacchari, aut Cassonadæ albæ, ℔. iij.

Clarificentur unà, fiátque Syrupus ex arte.

SYRVPVS CORALLINVS.

D. Z.

℞. Salis Coralliorum vulgò dicti (*putà, solutionis ipsorum aceto stillatitio factæ*) ℥. ij.
Succi berberum recentis clari, ℥. vj.

Misce, donec dissolutio facta sit, túmque adde,

Sacchari albissimi, ℔. j.

Sicque solâ dissolutione, & digestione in Balneo Mariæ, fiat Syrupus justæ consistentiæ.

SYRVPVS DE ENDIVIA SIMPLEX.
D. Renod.

℞. Succi Endiviæ depurati & clarificati, ℔. viij.
Sacchari albissimi, ℔. v.

Misce, & ex arte coque in consistentiam Syrupi.

SYRVPVS FLORVM PAPAVERIS RHOEADOS.
Emend.

℞. Florum Papaveris rhœados recentium & mundatorum, ℥. viij.
Aquæ fontanæ calentis, ℔. ij. ß.

Macerentur in vase terreo per horas viij. supra cineres calidos: tum percolentur exprimantúrque. Iterúmque tantundem novorum florum immittatur, quater idem opus factitando, ita ut florum ℥. xxxij. *huic negotio impendantur. Expressioni postremæ adde,*

Sacchari rosati, ℔. ij.

Coquantur in vase cupreo stannato, ad vaporem Balnei Mariæ, in Syrupi consistentiam, addendo

Mellis Narbonensis ℥. j.

SYRVPVS DE PAPAVERE SIMPLEX, *sive* DIACODIVS.
D. M. Emend.

℞. Capitum papaveris albi maturorum recen-

tium, cum ſuis ſeminibus, ℥. viij.
Capitum papaveris nigri etiam recentium, ℥. vj.
Aquæ pluviæ, ℔. viij.
Coquantur ad medias, & exprimantur: tum adde
Sacchari albi, ℔. iij.
Fiat Syrupus, ut artis eſt.

SYRVPVS DE LIMONIBVS.
D. M. Emend.

℞. Succi Limonum maturorum recentis, per colum laneum ſponte tranſcolati, ac leni digeſtione in Balneo Mariæ perfectè depurati,
Sacchari albi, an. ℔. v.
Miſce: coquantur unà in vaſe terreo vitreato, ad vaporem Balnei Mariæ, in conſiſtentiam Syrupi.

Eâdem etiam methodo, eâdémque proportione parandi veniunt, & in Officinis aſſervandi,

SYRVPI DE SVCCO
- FOLIORVM
  - ACETOSÆ.
  - OXYTRIPHYLLI.
- FRVCTVVM
  - BERBERIS.
  - CERASORVM ACIDVLORVM.
  - CYDONIORVM.
  - GRANATORVM.
  - RIBESIORVM.

SYRUPUS DE NYMPHÆA SIMPLEX.

I. A. Emend.

℞. Florum Nymphææ alborum mundatorum, ℥. viij. vel ad ſummum, ℥. x.

Aquæ fontanæ calentis, ℔. iij.

Detineantur in fictili vitreato ſupra cineres calentes per horas xxiiij. *Sub finem excalefiant, donec ebullire incipiant, túmque colentur. Quo facto, bis adhuc infuſio ſimilis præcedenti repetatur: poſtmodùm Colatura clarificetur cum* ovorum albuminibus Num. ij. *&* Caſſonadæ albiſſimæ ℔. ij. *Coquantur unà in Balneo Mariæ, ad Syrupi conſiſtentiam.*

SYRUPUS DE PEDE CATI.

I. A.

℞. Summitatum floridarum & recentium æluropi, *ſeu* pedis-cati, ℔. j.

Infunde per diem integram, in

Aquæ calentis, ℔. iiij.

Pòſt bulliant leviter, ác colentur. Colaturæ adde,

Sacchari albi, ℔. iij.

Coquantur in Syrupum.

SYRUPUS DE POMIS SIMPLEX.

D. M. Emend.

℞. Succi pomorum acido-dulcium, fragrantium, *Renetæorum inprimis, vel Curtipendulorum,* menſe Octobri aut Novembri expreſſi, q.v.

Digeratur in vitreo vaſe per horas xij. *aut* xv. *in Balneo Mariæ, coletúrque per manicam. Pòſt reſidat per biduum: atque ubi inclaruerit, denuò percoletur.*

Huius colaturæ ℔. j.

admiſce in vaſe ſtanneo,

Sacchari albi, ℔. iij.

Coquantur ex arte in diplomate ad Syrupi conſiſtentiam.

SYRVPVS ROSARVM SICCARVM.

I. A. Reformatus.

℞. Roſarum rubrarum ſiccarum, ℥.x.

Quarum mediæ parti in vaſe vitreo locatæ affunde,

Aquæ fontanæ ℥.xxx.

Fiat digeſtio in calore cinerum, vaſe probè clauſo, per ſpatium horarum ſex: inſtillando poſtmodùm,

Spiritûs optimi ſulfuris, guttas xxx.

Commiſta diligenter, ſinantur per duas adhuc horas, túncque colentur & exprimantur leviter. Expreſſioni modò factæ, & idem in vaſculum refuſæ, injice reſiduam medietatem roſarum rubrarum, digerantúrque rurſus unà in calore cinerum, per horas octo, vel paulò plus: túncque colatura denuò fiat ac expreſſio. Poſteà factâ per moram aliquam reſidentiâ, feces per inclinationem ſeparentur. Tandem verò in

Expreſſionis ℥.xx.

diſſolve

Sacchari albiſſimi in pulverem redacti, ℥.xxxij.

Coquantur unà in diplomate, ad conſiſtentiam Syrupi.

SYRV

SYRVPVS DE VIOLIS SIMPLEX.
D. M. Emend.

℞. Florum Violarum recentium mundatorum, ℔. ij.
Aquæ fontis ferventis, ℔. iiij.
Macerentur horis octo in vase terreo vitreato cooperto: In expresso calente denuò infunde, pari temporis intervallo, Violarum recentium tantundem. *In expressionis, priùs clarificatæ per simplicem trium horarum residentiam, ℔. ij. dissolve,*
Sacchari albi siccissimi, optimè triti, ℔. ij.
Coquantur in vase stanneo ad vaporem Balnei Mariæ in Syrupum ex arte.

SYRVPVS DE ALTHÆA.
D. FERN. *Emend.*

℞. Radicum Althææ mundatarum, ℥. iiij.
Cicerum rubrorum, ℥. ij.
Passularum mundatarum,
Radicum asparagi,
Graminis,
Liquiritiæ rasæ & contusæ, an. ℥. j.
Foliorum capilli Veneris veri,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Polytrichi,

Summi

Summitatum althææ,
Malvæ, an. M. ij.
Seminum 4. frigidorum majorum,
Minorum, an. ℥.vj.

Coquantur ex arte ad tertiæ partis consumtionem, in Aquæ ℔. viij.

Colaturæ adde,
Sacchari albi, ℔. iiij.

Clarificentur unà, percoquantúrque ad Syrupi consistentiam.

SYRVPVS DE IBISCO.
D. Parisiens. *Reform.*

℞. Radicum Althææ tusarum, & à meditullio repurgatarum, ℥. ij.
Raphani domestici & silvestris, per taleolas sectarum,
Bardanæ,
Eryngij,
Petroselini, contusarum, & à meditullio repurgatarum.
Cicerum rubrorum, an. ℥.j.
Saxifragæ totius,
Foliorum betonicæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Summitatum althææ, an. M.j.

Fructuum halicacabi, Num.xxx.
Seminum urticæ,
Quatuor frigidorum majorum,
Lithospermi, an. ʒ. iij.
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ, ℥.j.
Coquantur in Aquæ purissimæ ℔. xx. dum ℔. xij. supersint: *Quibus permisce*,
Sacchari optimi, ℔. xij.
Percoquantur ex arte in Syrupum.

SYRVPVS DE ARTEMISIA.

D. Fern. *Emend.*

℞. Radicum enulæ Campanæ,
Fœniculi,
Ireos nostrâtis,
Levistici,
Pœoniæ,
Rubiæ majoris, an.℥ .ß.
Foliorum Artemisiæ, M. ij.
Betonicæ,
Calamenthi montani,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Hyperici, cum floribus,
Hyssopi,
Matricariæ, cum floribus,
Melissæ,

Nepetæ,

Nepetæ,
Origani,
Praſſij albi,
Pulegij,
Sabinæ,
Sampſuchi, an. M. j.
Seminum Aniſi,
Dauci Cretici,
Fœniculi,
Nigellæ Romanæ,
Ocimi,
Petroſelini,
Rutæ, an. ℥. iij.

Radices contuſæ ac inciſæ, foliáque inciſa, coquantur ex arte ad tertiæ partis conſumtionem, in

Hydromelitis ſimplicis, ℔. viij.

Colatura & expreſſio ſuper ſemina priùs contuſa calidè affundatur, detineatúrque per horas 24. ſupra cineres calentes in vaſe exactè clauſo, augendo ignem ſub finem per ſpatium horæ vnius. Tunc verò vaſe ab igne remoto, materiæ ſemi-refrigeratæ colentur denuò & exprimantur. Poſtmodùm fecibus per reſidentiam ſeparatis, decoctio decantetur. De qua ℔. iiij. *ad vaporem Balnei Mariæ, cum*

Sacchari albi, ℔. v.

Percoquantur in Syrupum. Interim infundantur ſeorſim in parva prædicti decocti portione,

Cinnamomi, ℥. j.
Spicæ-nardi, ʒ. iij.

Quorum expressio admisceatur Syrupo sub finem coctura, ad debitam ipsius aromatizationem.

SYRUPUS DE CICHORIO
COMPOSITUS SINE RHEO.
D. Nic. Flor. *Reform.*

℞. Hordei integri,
Radicum Apij,
Asparagi,
Fœniculi, mundatarum, an. ℥.ij.
Foliorum Cichorij silvestris flore cæruleo,
Endiviæ hortensis, *seu* domesticæ, an. M. ij.
Fumariæ,
Hepaticæ, *seu* Lichenis,
Lactucæ agrestis,
Sativæ,
Lupulorum,
Sonchi lævis, *seu* Cicerbitæ,
Taraxaci, *seu* Dentis leonis, an. M. j.
Capilli Veneris veri,
Ceterach,
Polytrichi,
Salviæ vitæ,
Baccarum Alkekengi,
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ,
Seminis Cuscutæ, an. ʒ.vj.

Coquantur

Coquantur secundùm artem in aquæ q. s. *In*
Colaturæ probè clarificatæ, ℔. vj.
dissolve,
Sacchari albi, ℔. iiij.
Fiat Syrupus.

SYRVPVS DE ERYSIMO.
D. *Lobel.*

℞. Erysimi totius recentis, mensibus Iulio & Augusto collecti, M. vj.
Radicum recentium Enulæ Campanæ,
Liquiritiæ,
Tussilaginis, an. ℥. ij.
Foliorum borraginis,
Capillorum Veneris,
Cichorij, an. M. i.ß.
Florum anthos,
Calendulæ,
Stœchados, an. M. ß.
Seminis anisi, ʒvj.
Passularum mundatarum, ℥.ij.
Incisis aliis & aliis contusis, coquantur omnia ex arte, in
Hydromelitis aquosi, ex hordei decocto parati, s. q. *additis*
Succi Erysimi, ℥.vj.
In Colaturæ ℔. iij. *dissolve*,
Sacchari albi, q. s.
Fiat Syrupus.

SYRVPVS DE HYSSOPO.

D. M.

℞. Hyſſopi nonnihil ſiccæ,
Radicum apij,
Fœniculi,
Liquiritiæ, an. ʒ. x.
Hordei electi, ℥.ß.
Seminis cydoniorum,
Malvæ,
Tragacanthi, an.ʒ. iij.
Capilli veneris, ʒ. vj.
Iujubas,
Sebeſten, an. Num. xxx.
Paſſularum mundatarum, ℥. i.ß.
Ficus ſiccas,
Dactylos, an. Num. x.
Coquantur omnia in
Aquæ ℔. viij. *ad medias.*
Colentur: & in colatura diſſolve,
Penidiorum alborum, ℔. ij.
Fiat Syrupus ſecundùm artem.

SYRVPVS DE IVIVBIS.

D. M. *Emend.*

℞. Iujubas, Num. L X.
Capilli Veneris,

Glycyrrhizæ

Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ,
Hordei mundati, an. ℥. j.
Florum violarum,
Seminis malvæ, an. ʒ. v.
Gummi tragacanthi,
Seminis cydoniorum,
Lactucæ,
Melonum,
Papaveris albi, an. ʒ. iij.

Fiat omnium decoctio ſecundùm artem, in
Aquæ fontanæ, ℔. viij.
Expreſſi clarificati ℔. v. *adjunge*
Sacchari, ℔. ij.
Percoquantur in Syrupum.

SYRVPVS DE NICOTIANA.
D. Augerij.

℞. Succi Nicotianæ majoris, ovorum albuminibus clarificati,
Sacchari penidiati, an. ℔. j.

Coquantur in vaſe terreo vitreato, ad vaporem aquæ bullientis, in conſiſtentiam Syrupi.

SYRVPVS DE SYMPHYTO.
D. Fern. *Emend.*

℞. Radicum & ſummitatum Symphyti majoris, & minoris, an. M. iiij. ß.
Foliorum betonicæ,

Pimpinellæ

Pimpinellæ,
Plantaginis,
Polygoni, *ſeu* Centinodiæ,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis,
Roſarum rubrarum recentium, an. M. iij.

Ex omnibus recentibus ſeorſim contuſis exprimatur ſuccus, coquatur & exſpumetur ad ℔. iiij. *quibus adde*,

Sacchari albi, ℔. ij. ß.

Fiat Syrupus ex arte.

SYRVPVS DE TVSSILAGINE.
Colleg. Lugdun. *Emend.*

℞. Radicum Tuſſilaginis, ℔. ß.
Foliorum Tuſſilaginis, M. vj.

Coquantur in Aquæ fontis, ℔. viij. *ad quartæ partis conſumtionem. Remotis ab igne injice*,

Foliorum capilli Veneris, M. ij.
Liquiritiæ raſæ, ℥. j.

Macerentur per 24. *horas, túncque unicâ ebullitione factâ, exprimantur omnia: Adde expreſſioni albumine ovi ſpumeſcenti*,

Sacchari albi, ℔. iiij. aut v.

Fiat Syrupus.

Parari etiam commodè poteſt iſte Syrupus, tum ex Succi foliorum Tuſſilaginis, & Sacchari æquis partibus; *tum ex* Florum Tuſſilaginis infuſione multiplici, *cum* Sacchari q. ſ.

ARTI

ARTICVLVS II.

De Syrupis purgantibus.

SYRVPVS DE CICHORIO COMPOSITVS CVM RHEO.

℞. Colaturæ jam clarificatæ Syrupi de Cichorio compositi sine Rhéo, *paulò antè descripti, antequàm Saccharum ipsi fuerit adjectum*, ℔. vj.
Rhéi electi minutim incisi, ac in nodulo ligati, ℥. vj.
Spicæ-nardi, ℥. ß.

Infundantur, ac ubi parum bullierint, exprimantur. Posteà Saccharo adjecto, *percoquantur ad debitam Syrupi consistentiam, in Balneo Mariæ.*

Non malè etiam Tinctura Rhéi *seorsim in* aqua Cichorij, *vel in parte aliquâ* Decocti præscripti jam clarificati, *additis* Salis tartari granis aliquot, *per digestionem extraheretur, Syrupo admiscenda.*

SYRVPVS DE FLORIBVS PERSICORVM.

I. A.

♃. Florum Persicorum recentium, leviter contusorum, ℔. j.
Aquæ calentis, ℔. iiij.

Macerentur per horas xij. *Túmque leviter ebulliant & exprimantur. Eædem novorum florum, pari pondere, ac per*

tempus æquè longum, macerationes, colaturæ, expressiones, ter aut quater, aut etiam sexies repetantur: tandémque in expressione postrema dissolve,

Sacchari albi, ℔. iiij.

Fiat Syrupus, ut artis est, in Balneo Mariæ.

SYRVPVS DE POMIS SAPOR.
D. M. *Emend.*

℞. Succi pomorum dulcium redolentium, ℔. iij.
Succorum depuratorum Borraginis,
Buglossi, an. ℔. ij.
Folliculorum Sennæ mundatorum, ℥.iiij.
Seminis anisi,
Fœniculi, an. ℥. ß.
Caryophyllorum,
Croci, an. ʒ. j.
Sacchari, ℔. iiij.

Fiat Syrupus secundùm artem, in Balneo Mariæ.
Habeatur etiam parata huius ipsius Syrupi pars aliqua, SINE CROCO.

SYRVPVS DE POMIS HELLEBORATVS.
D. M. *Emend.*

♃. Polypodij quercini,
Radicum & florum Borraginis,
Buglossi,
Capillorum Veneris, an. ℥. j.
Foliorum Chamæmeli veri,

Fumariæ,

Fumariæ,
Sennæ,
Stœchados, an. ʒ. vij.
Foliorum Eupatorij, ℥. ß.
Chamædryos,
Hellebori nigri,
Schœnanthi, an. ʒ. iij.
Aquæ, ℔. vj.

Coque ad consumtionem ℔. ij. *Cola & exprime : tum adde,*

Epithymi, ℥. j.
Succi pomorum redolentium, ℥. viij.

Coque parum, & cola. Postremò adde,

Sacchari albi, ℔. ij.

Fiat Syrupus ex arte, in Balneo Mariæ.

SYRVPVS DE RHAMNO.
D. Dalecamp. *Emend.*

℞. Succi baccarum maturarum Rhamni catharti-ci, *ad quartas cocti, & excolati, probéque purificati*, ℔. j.
Mellis despumati, ℥. vj.
Sacchari, ovi albumine clarificati, ℥. iiij.

Coquantur in Balneo Mariæ, ad spissitudinem Syrupi. Remoto verò jam ab igne injiciantur, misceantúrque

Elæosacchari Mastiches,
Seminum anisi,
Coriandri, an. ℈. ß.

SYRVPVS ROSARVM PALLIDARVM, E NOVEM INFVSIONIBVS.

℞. Florum Rosarum pallidarum recentium, ℔. vj.
Infundantur horis xij. *in*

Aquæ ferventis, ℔. xv.

in vase terreo vitreato, stricti oris, probè operculato: tum colentur.

Eidem colaturæ recalefactæ, infunde secundò, itémque tertiò, ac quartò, imò si libeat novies, tantundem rosarum recentium, *pérque idem temporis spatium, ac primâ vice. Singulæ infusiones colentur, omnésque tandem conjungantur, ac per solam residentiam in Sole clarificentur. Denique adde, ad*

Colaturæ, ℔. v.

Sacchari primarij, ℔. iij.

Fiat Syrupus in Balneo Mariæ lentè evaporandus.

SYRVPVS ROSARVM PALLIDARVM LAXATIVVS CVM SENNA.

℞. Infusionis Rosarum pallidarum ter, aut amplius iteratæ, ℔. iij.

Foliorum Orientalium mundatorum, ℥. iij.

Seminis anisi,

Fœniculi dulcis, an. ʒ. ij.

Macerentur per horas xxiiij. *calidè. In expressione forti dissolve,*

Sacchari albissimi, ℔. ij.

Coquantur in Syrupum in Balneo Mariæ.

SYRV

SYRVPVS ROSARVM PALLIDARVM
LAXATIVVS CVM RHEO.

℞. Infuſionis multiplicis, *ſaltem trinæ*, Roſarum pallidarum, ℔. ij.
Rhéi electi minutim inciſi, ℥. i. ß.
Cinnamomi, ʒ. ij.
Santali citrini, ℈. ij.

Macerentur per horas xxiiij. *calidè: túncque Expreſſioni factæ, adde*

Sacchari clarificati, ℔. ij.

Fiat ſecundùm artem Syrupus in Balneo Mariæ.

SYRVPVS ROSARVM PALLIDARVM
LAXATIVVS CVM AGARICO.

℞. Infuſionis roſarum pallidarum pluries repetitæ, ℔. iij.
Agarici trochiſcati, ℥. i. ß.

Macerentur unà per horas xxiiij. *calidè: In expreſſione verò dilue,*

Sacchari albiſſimi, ℔. ij.

Fiat Syrupus in Balneo Mariæ.

SYRVPVS DE SVCCO ROSARVM.

Colleg. Lugdun.

℞. Succi Roſarum ſubrubentium depurati, ℔. vj.
Sacchari albi, ℔. iiij.

Clarificata albumine ovi, coquantur ad Syrupi perfectionem.

SYRVPVS VIOLARVM LAXATIVVS, *ſive* DE NOVEM INFVSIONIBVS.

℞. Infuſionis Violarum mundatarum, ſepties aut novies intra triduum iteratæ, ℔. v.
Sacchari albi, ℔. iiij.

Fiat Syrupus lentâ coctione in Balneo Mariæ.

SYRVPVS VIOLATVS ELEGANS. D. Pariſ.

℞. Violarum recentium mundatarum, ℔. j.
Aquæ ferventis, ℔. iiij.
Succi citri depurati, ℥. j.
Sacchari optimi pulverati, ℥. iij.

Infundantur ſimul per horas x. *Posteà colentur & exprimantur leviter per pannum album & novum. In expreſſo calidiuſculo infunde ſecundò,*

Violarum recentium mundatarum, ℔. j.
Succi citri defecati, ℥. j.
Sacchari optimi triti, ℥. ij.

Poſt horas x. *colentur iterum per eundem pannum, & exprimantur leviter. In expreſſo infunde tertiò per horas* x.

Violarum recentium mundatarum, ℔. j.
Sacchari optimi in pollinem redacti, ℥. ij.

Colatum & leviter expreſſum immittatur in fictile vitreatum, diſſolvendo:

Sacchari

Sacchari optimi pulverati, ℔. iiij.

Ponatur vas in Balneo Mariæ fervente, & lento calore dissolvatur saccharum, coquatúrque in Syrupum, excipiendum tandem vasculis oris angusti, ritè obturandi sacchato pulverato.



PARTIS PRIORIS

SECTIO VI.

De Pulveribus seu Speciebus, tam Aromaticis, quàm Alterantibus: necnon de Speciebus Purgantibus.

CAPVT I.

DE SPECIEBVS AROMATICIS.

PVLVIS DIAMARGARITI FRIGIDI.

D. Colleg. Lugdun.

℞. Margaritarum præparatarum, ℥. iij.
Florum nymphææ,
Rosarum rubrarum,
Violarum,
Santalorum,
Seminis melonum mundatorum, an. ℥. ij.
Trochiscorum Diarhodon Mesuæ, ℈. iiij.
Serici crudi, ℥. j.

Doronici

Doronici Romani,
Ossis è corde cervi,
Radicis tormentillæ,
Vlmariæ,
Spicæ Indicæ,
Spodij, an. ℈. ij.
Foliorum auri,
Rasuræ eboris,
Seminis acetosæ,
Endiviæ, an. ʒ. ß.
Ambari grisei,
Croci, an. ℈. j.
Moschi, gran. ij.

Fiat Pulvis, cujus major pars servetur sine moscho & ambaro.

PVLVIS DIAMBRÆ.
D. M.

℞. Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Doronici Romani,
Folij Indi,
Galangæ minoris,
Macis,
Nucis moschatæ, an. ʒ. iij.
Ligni aloës,
Piperis longi,
Santali citrini, an. ʒ. ij.

Zingi

Zingiberis, ʒ. i. ß.
Cardamomi majoris,
Minoris,
Spicæ Indicæ, an.ʒ. j.
Ambari grisei, ℈. iiij.
Moschi, ʒ. ß.

Fiat omnium Pulvis: cujus tamen portio major servetur sine moscho & ambaro.

PVLVIS DIARHODON ABBATIS. D. N. *Emend.*

℞. Rosarum rubrarum,
Sacchari canti, an. ℥. j. ʒ. iij.
Santali albi,
Rubri, an. ʒ. ij. ß.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Spodij, an. ℈. ij.
Asari,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Croci,
Ligni aloës,
MasticHes,
Rhabarbari,
Seminis anisi,
Berberis,

Citruli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Fœniculi
Melonum,
Ocimi,
Papaveris albi,
Portulacæ,
Scariolæ,
Spicæ-nardi,
Succi glycyrrhizæ,
Trochiſcorum galliæ moſchatæ, an. ℈. j.
Margaritarum,
Oſſis è corde cervi, an. ℈. ß.
Moſchi, gran. iij. ß.

Fiat Pulvis, abdicatâ in hac compoſitione, ut & in cæteris ore ſumendis, Caphurâ. *Quin & hujus Pulveris magna portio* ſine moſcho *parata ſervari debet.*

PVLVIS DIATRIONSANTALON.
D. N. Myr. *Emend.*

℞. Roſarum rubrarum,
Sacchari canti,
Trium ſantalorum, an. ʒ. ij. ℈. ij.
Rhabarbari, *aut* Rhapontici,
Seminis portulacæ,
Spodij, *aut* Raſuræ eboris,
Succi glycyrrhizæ, an. ʒ. ij.

Amyli,

Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Seminis citruli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Endiviæ,
Melonum, an. ℈. iiij.
Violarum, ℥. ß.
Fiat Pulvis.

CAPVT II.

De Speciebus Alterantibus.

PVLVIS CACHECTICVS SIMPLEX.

D. Hartman.

℞. Sacchari albiſſimi, ℥. ij.
Caſſiæ ligneæ, ℥.i.ß.
Chalybis aperientis, ℥. ß.
Fiat Pulvis ad uſum.

PVLVIS CACHECTICVS COMPOSITVS.

D. Quercet. *Emend.*

♃. Scobis Chalybis, in tenuiſſimum alcool per ſimplicem aquam pauco ſpiritu ſulfuris acuatam redactæ, ℥. j.

Salis corallorum rubrorum,
Margaritarum, an. ʒ. ij.
Fæculæ radicis ari, ʒ. i. ß.
Cinnamomi,
Cornu-cervi ſubtiliſſimè triti,
Succini præparati, an. ℈. iiij.
Ambari griſei, ʒ. ß.
Sacchari, ad pondus omnium.
Fiat omnium Pulvis ſubtiliſſimus, ac miſce, ad uſum.

PVLVIS DE CHALYBE COMPOSITVS.
D. Pariſienſ.

℞. Limaturæ Chalybis præparatæ, ℥. ij.
Cinnamomi, ʒ. vj.
Myrrhæ, ℥. ß.
Radicis ariſtolochiæ,
Rubiæ majoris, an. ʒ. ij.
Seminis apij,
Leviſtici, *ſeu* Smyrnij,
Rutæ,
Seſeleos, an. ʒ. i. ß.
Foliorum artemiſiæ,
Betonicæ,
Calamenthi montani,
Hyſſopi,
Matricariæ,
Meliſſæ,
Nepetæ,

Origani,

Origani,
Pimpinellæ,
Prassij,
Pulegij,
Sabinæ,
Summitatum thymi, an. ℥. ij.
Macis, ℈. ij.

Omnia redigantur in Pulverem, servandum ad usus.

PVLVIS AD CASVM EX ALTO.
Colleg. Lugd.

℞. Coaguli leporis,
Succini, an. ℥. ij.
Radicum rubiæ tinctorum,
Symphyti majoris,
Spermatis ceti, an. ℥. j.
Myrrhæ,
Rhapontici,
Thuris, an. ℈. j.

Fiat Pulvis.

PVLVIS AD COMITIALEM AFFECTVM, *vulgò* DE GVTTETA.

Colleg. Lugdun. *Reformatus.*

♃. Radicis Pœoniæ maris,
Visci quercini, an. ℥. ij.
Cranij humani nusquam inhumati,

Vngulæ alces, an. ʒ. i. ß.
Seminis ocimi,
Pœoniæ, an. ʒ. j.
Florum betonicæ,
Tiliæ, an. ℈. ij.
Pulveris Diambræ ſine moſcho, ʒ. ß.
Sacchari roſati, ad pondus omnium.
Folia auri, Num. v.
Fiat Puluis.

PVLVIS DIAIREOS SIMPLEX. I. A.

℞. Ireos Florentiæ, ℥. ß.
Pulveris Diatragacanthi frigidi,
Sacchari canti, an. ʒ. ij.
Fiat Pulvis.

PVLVIS DIATRAGACANTHI FRIGIDI. D. N. Myr. *Emend.*

♃. Penidiorum, ℥. iij.
Gummi tragacanthi candidi, ℥. ij.
Arabici, ʒ. x.
Amyli, ℥. ß.
Seminis papaveris albi, ʒ. iij.
Glycyrrhizæ raſæ,
Seminum 4. frigidorum majorum mundatorum, an. ʒ. ij.
Fiat Pulvis.

PVLVIS

PVLVIS DIALACCA MAIOR.
D. M.

℞. Laccæ, aquâ decoctionis aristolochiæ & schœnanthi lotæ ac imbutæ,
Rhabarbari, an. ℥. ij.
Amygdalarum amararum,
Aristolochiæ rotundæ,
Asari,
Bdellij,
Cinnamomi,
Costi,
Croci,
Gentianæ,
Hyssopi siccæ,
Mastiches,
Myrrhæ,
Radicis rubiæ tinctorum,
Sabinæ,
Schœnanthi,
Seminum ammeos,
Anisi,
Apij,
Fœniculi,
Spicæ-nardi,
Succorum absinthij,
Eupatorij Mesuæ, inspissatorum,
an. ℥. i. ß.

Piperis

Piperis nigri,
Zingiberis, an. ʒ. j.
Fiat omnium Pulvis.

PVLVIS AD HÆMORRHAGIAM.
Colleg. Lugd.

℞. Croci Martis adſtringentis, ʒ. vj.
Boli Armenæ,
Coralli rubri,
Lapidis hæmatitis,
Thuris maſculi, an. ℥. ß.
Caudæ equinæ,
Centinodiæ,
Seminis plantaginis, an. ʒ. iij.
Chalcanthi ad rubedinem calcinati,
Cineris ranarum,
Cornu taurini uſti,
Gypſi, an. ʒ. ij.
Fiat Pulvis.

PVLVIS HALY.
D. Valeſc. *Emend.*

℞. Seminis papaveris albi, ʒ. v.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Amyli, an. ʒ. i. ß.
Seminum althææ,
Bombacis,

Malvæ,

Malvæ,
Portulacæ, an. ʒ.ij. ß.
Quatuor frigidorum majorum mundatorum,
Cydoniorum mundatorum, an. ʒ.iij.ß.
Pulveris liquiritiæ,
Scobis eboris crudi, an. ʒ. i. ß.
Penidiorum, ad pondus omnium.
Fiat Pulvis.

PVLVIS AD PHTHISIN.
Emend.

℞. Seminis papaveris albi, ℥. ß.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Seminum althææ,
Bombacis,
Portulacæ,
Quatuor frigidorum majorum mundatorum, an. ʒ. i. ß.
Cineris cancrorum fluuiatilium,
Pulmonis vulpis præparati, an. ℈. iiij.
Fiat Pulvis.

PVLVIS AD LVMBRICOS.
Colleg. Lugd.

℞. Corallinæ,
Rasuræ Cornu-cervi,

M Seminis

Seminis contra vermes,
Caulium,
Citri,
Portulacæ, an. ʒ. j.
Rhabarbari, ʒ. ß.
Scordij,
Florum persicorum, an. ℈. ij.
Fiat Pulvis.

PVLVIS VIPERINVS SIMPLEX.

℞. Viperarum Carnis, Cordium ac jecinorum, q.v. *Insperge*, Salis armoniaci sublimati, parum: *Immitte cucurbitæ vitreæ, appositóque capitello, fiat in Balneo Mariæ destillatio, lento igne, per duos trésve dies, donec probè exiccata fuerint, sicque in subtilissimum alcool redigantur; quod ut diutissimè servetur incorruptum, trochiscari facilè potest cum pauca* mucilagine gummi Arabici, vino albo extracta.

SPECIES PRO VNGVENTO CITREO.
D. N. Myr. *Emend.*

℞. Cerusæ Venetæ,
Gersæ serpentariæ, an. ℥.j.
Coralli albi, ℥.ß.
Aluminis plumei,
Amyli,
Antali,
Crystalli,
Dentali,

Nitri,

Nitri,
Thuris albi,
Tragacanthi,
Vmbilici marini, an. ʒ. iij.
Boracis mineralis,
Marmoris albi, an. ʒ. ij.
Caphuræ, ʒ. j.

Fiat omnium Pulvis, in porphyrite lævigandus, & vase vitreo servandus, ad Vnguentum *pro re nata concinnandum.*

CAPVT III.

De Speciebus Purgantibus.

SPECIES HIERÆ PICRÆ.

D. Gal. *Emend.*

℞. Radicis asari,
Cinnamomi,
Masticches,
Santali citrini,
Spicæ-nardi, an. ʒ. iij.
Croci optimi, ʒ. j. ß.
Aloës Zocotrinæ non lotæ, ℔. ß. ʒ. ij.

Fiat omnium Pulvis subtilissimus: E quo, pro re nata, modò Confectio *seu* Electuarium ejusdem nominis, *ad-*

jectâ scilicet Mellis communis ſ. q. *modò* Pilulæ *itidem* cognomines, *adjectâ* mellis roſati ſ. q. *conflari ſolent.*

SPECIES DIACNICI, *ſive* DIACARTHAMI.

℞. Medullæ ſeminis carthami,
Turbith gummoſi, an. ℥. ß.
Diagrydij,
Hermodactylorum,
Liquiritiæ raſæ, an. ʒ. ij.
Cinnamomi,
Gummi tragacanthi,
Zingiberis, an. ʒ. j.
Fiat Pulvis ſecundùm artem.

PVLVIS HYDRAGOGVS.
D. Bauder.

℞. Radicum Ialappæ, ℥. ß.
Mechoacannæ, ʒ. ij.
Cinnamomi,
Rhabarbari electi, an. ℈. iiij.
Foliorum ſoldanellæ,
Seminum aniſi,
Ebuli, an. ʒ. j.
Fiat ex omnibus Pulvis ſubtilis, ad uſum.

PVLVIS HYDRAGOGVS.
Colleg. Lugd.

♃. Ialappæ,
Turpethi, an. ʒ. vj.

Aſari,

Asari,
Specierum Diacnici, an. ℥. ß.
Diagrydij sulfurati,
Soldanellæ, an. ʒ. ij.
Cinnamomi electi,
Croci Martis aperientis,
Specierum Diatriasantali, an. ℈. ij. gr. viij.
Misce, fiat Pulvis.

PVLVIS DE TRIBVS, COMITIS VVARVVICENSIS.

D. Cornacchini.

Constat tribus rebus variâ proportione miscendis pro re nata, putà ANTIMONIO DIAPHORETICO, CREMORE TARTARI, & DIAGRYDIO SVLFVRATO. *Sic verbi gratiâ fuerit*

MITIOR.

℞. Cremoris tartari, ʒ. x.
Diagrydij sulfurati, ʒ. iij. ß.
Antimonij Diaphoretici, ʒ. iij. *Misce.*

POTENTIOR.


℞. Diagrydij sulfurati, ℥. j.
Antimonij Diaphoretici, ʒ. vj.
Cremoris tartari, ʒ. ij. *Misce.*

SPECIES PRO SVPPOSITORIIS.

D. Bauder. *Emend.*

℞. Saponis Genuensis, ℔. i. ß.
Pulverum Esulæ aceto præparatæ,
Radicis Hellebori albi,
Hermodactylorum, an. ℥. i. ß.
Pulpæ Colocynthidos vrinâ præparatæ, ℥. j.
Salis gemmæ, ℥. ß.

Misce, fiat Puluis. Ex quo, cum succi mercurialis ℥. iij. aut iiij. *fiant* Suppositoria, *sive* Balani.



PARTIS PRIORIS

SECTIO VII.

DE TROCHISCIS, sive PASTILLIS.

CAPVT I.

De Trochiscis Alexiteriis.

TROCHISCI CYPHI.

D. Damocratis. *Emend.*

℞. Pulpæ passularum trajectæ,
Terebinthinæ Cypriæ, an. ℥. iij.

Myrrhæ

Myrrhæ electæ,
Schœnanthi, an. ℥. i. ß.
Calami aromatici, ʒ. ix.
Cinnamomi, ℥. ß.
Baccarum juniperi pinguium & ſelectarum,
Bdellij,
Caſſiæ ligneæ,
Cyperi,
Nardi Indicæ, an. ʒ. iij.
Aſpalathi, ʒ. ij. ß.
Croci, ʒ. j.
Cum Vino optimo, *&* Melle *fiant Trochiſci.*

TROCHISCI HEDYCHROI.
D. Andromachi Senioris.

℞. Aſari,
Aſpalathi,
Majoranæ,
Mari, an. ʒ. ij.
Calami aromatici,
Cinnamomi,
Coſti,
Opobalſami,
Phu Pontici,
Schœnanthi,
Xylobalſami, an. ʒ. iij.
Caſſiæ ligneæ,
Croci,

Folij

Folij Indi,
Myrrhæ electæ,
Spicæ-nardi, an. ʒ. vj.
Amomi, ʒ. xij.
Mastiches, ʒ. j.

Cum Vino generoso *fiant Trochisci.*

TROCHISCI SCILLITICI.

D. Magni.

℞. Scillæ assatæ, ℔. j.
Farinæ seminis orobi albi, ℔. ß.

Conterantur ac commisceantur in mortario lapideo, cum pauco Vino albo generoso, *fiant Trochisci.*

TROCHISCI VIPERINI, *sive* THERIACI.

D. Andromachi Senioris.

℞. Carnis viperarum, resectis & abjectis extremitatibus, cum anetho & sale in aqua coctæ, ℥. viij.
Panis albi purissimi, exsiccati & pulverisati, ℥. ij.

Formentur Trochisci ex arte, digitis opobalsamo, *vel* oleo è nuce moschatâ, *inunctis.*

TROCHISCI

TROCHISCI GALLIÆ MOSCHATÆ.

D. M.

℞. Ligni aloës, ʒ. v.
Ambari grisei, ʒ. iij.
Moschi optimi, ʒ. j.

Cum mucilagine tragacanthi aquâ rosarum extracta, *fiant Trochisci.*

TROCHISCI ALIPTÆ MOSCHATÆ.

D. N. Myrepsi. *Emend.*

℞. Ladani optimi, ℥. iij.
Styracis calamitæ, ℥. ij. ß.
Ligni aloës optimi, ʒ. ij.
Ambari grisei, ʒ. j.
Moschi, ℈. j.

Cum aqua rosarum *fiant Trochisci.*

CAPVT II.

De Trochiscis tam Alterantibus, quàm Purgantibus.

ARTICVLVS I.

De Trochiscis Alterantibus.

TROCHISCI ALBI SINE OPIO.

D. Rhaſ. *Emend.*

℞. Ceruſæ aquâ communi primùm ter, tandémque aquâ roſarum lotæ, ʒ.x.
Sarcocollæ craſſioris, ℥. ß.
Amyli aquâ loti, ʒ. ij.
Gummi tragacanthi, ʒ. j.
Caphuræ, ʒ. ß.

Cum aqua roſarum *fiant Trochiſci: quorum ſi mediæ parti, loco caphuræ, addantur* Opij *gran.* xv. *habebuntur* TROCHISCI ALBI CVM OPIO.

TROCHISCI BECHICI, Colleg. Lugd.

♃. Liquiritiæ electæ, ℥. ij.
Amyli, ℥. i. ß.
Ireos Florentiæ, ℥. j.
Succi liquiritiæ optimi, ℥. ß.
Sacchari albiſſimi, ℔. j.

Penidiorum,

Penidiorum,
Sacchari canti, an. ℥. iiij.

Cum mucilagine tragacanthi aquâ rosarum extractâ, *fiant Trochisci.*

TROCHISCI BECHICI NIGRI. D. M.

℞. Succi liquiritiæ,
Sacchari albi, an. ℥. j.
Amygdalarum dulcium mundatarum,
Amyli,
Tragacanthi, an. ℥. ß.

Cum mucilagine seminum cydoniorum, *aut* psyllij, aquâ rosarum extractâ, *fiant ex arte Trochisci.*

TROCHISCI DE CAPHVRA.

COLLEG. LVGD.

℞. Seminum Cucumeris mundatorum,
Portulacæ, an. ʒ. ij.
Eboris philosophicè calcinati,
Liquiritiæ rasæ,
Santali citrini, an. ʒ. i. ß.
Amyli loti,
Florum nymphææ,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Seminis Violarum, an. ʒ. j.
Croci, ℈. ij.

Caphuræ, ℥. ß.

Cum mucilagine ſeminis pſyllij, aquâ Meliſſæ extractâ, *fiant Trochiſci.*

TROCHISCI DE CAPPARIBVS.
D. M.

℞. Corticum radicis Capparum,
Seminis agni caſti, an. ʒ. vj.
Gummi Ammoniaci, ℥. ß.
Amygdalarum amararum,
Foliorum Calamenthi montani,
Rutæ,
Radicum acori veri,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Seminis naſturtij,
Nigellæ Romanæ,
Succi Eupatorij inſpiſſati, an. ʒ. ij.
Foliorum ſcolopendrij veri,
Radicis Cyperi rotundi, an. ʒ. j.

Pulverata excipiantur gummi Ammoniaco in aceto diſſoluto, & *fiant Trochiſci.*

TROCHISCI DIARHODON.
D. Meſuæj.

℞. Roſarum rubrarum, ℥. j.
Liquiritiæ, ℥. ß.
Ligni aloës,
Spicæ Indicæ, an. ʒ. ij. ℈. ij.

Maſtiches,

Mastiches, ʒ. ij.
Spodij, ℈. iiij.
Croci, ℈. ij.
Cum Vino albo *fiant Trochisci.*

TROCHISCI AD GONORRHOEAM.
D. Renod.

+
℞. Boli Armenæ aquâ Centinodiæ lotæ, ʒ. ij.
Scobis eboris,
Succini, an. ʒ. i. ß.
Seminis plantaginis, ℈. iiij.
Balaustiorum,
Rosarum,
Seminis agni casti,
Lactucæ, an. ʒ. j.
Sassafras, ℈. ij.
Cum mucilagine seminis cydoniorum *in* aqua nenupharis extracta, *fiant Trochisci.*

TROCHISCI GORDONII.
Emend.

℞. Boli Armenæ, *seu* Orientalis,
Mucilaginis seminis psyllij,
Myrrhæ,
Rosarum rubrarum,
Sanguinis draconis,
Spodij Arabum, an. ℥. ß.
Amygdalarum dulcium depellatarum,

Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Hordei mundati,
Liquiritiæ rasæ,
Nucleorum pini recentium mundatorum,
Pistaciorum,
Penidiorum,
Sacchari canti,
Seminum 4. frigidorum majorum recentium mundatorum,
Bombacis,
Cydoniorum,
Malvæ,
Myrtillorum,
Papaveris albi,
Portulacæ, an. ℨ. ij.

Omnia in subtilissimum pollinem redacta, invicémque mista, excipiantur Hydromelite, *fiántque* Trochisci.

TROCHISCI DE KARABE.
D. M. *Emend.*

℞. Succini præparati, ℥. j.
Acaciæ.
Balaustiorum,
Coralli rubri,
Cornu-cervi,
Gummi Arabici,
Hypocistidis,

Laccæ,

Laccæ,
Maſtiches,
Seminis papaveris nigri,
Tragacanthi, an. ʒ.ij. ℈.ij.
Croci,
Opij,
Thuris, an. ʒ. ij.

Cum mucilagine ſeminis pſyllij aquâ plantaginis extracta, *fiant Trochiſci.*

TROCHISCI DE MINIO.
D. VIGON.

℞. Medullæ panis crudi probè fermentati, ℥.ß.
Sublimati electi, ʒ. j.
Minij, ʒ. ß.
Aquæ roſarum, q. ſ.

Fiant Trochiſci, ſiccandi ad calorem clibani tepidi.

TROCHISCI DE MYRRHA.
D. Rhaſ. *Emend.*

℞. Myrrhæ electæ, ℥. ß.
Farinæ lupinorum, ʒ. iij.
Foliorum menthaſtri,
Pulegij cervini cum comis,
Rutæ,
Gummium aſſæ fœtidæ,
Opopanacis,
Sagapeni,

Radicis

Radicis rubiæ tinctorum,
Seminis petroſelini Macedonici, an. ʒ. ij.

Cum aqua decoctionis artemiſiæ, *vel* granorum juniperi, *fiant Trochiſci.*

TROCHISCI DE RHABARBARO.

℞. Rhabarbari optimi, ʒ. x.
Amygdalarum amararum excorticatarum,
Succi Eupatorij inſpiſſati, an. ℥. ß.
Roſarum rubrarum, ʒ. iij.
Abſynthij,
Aſari,
Rubiæ tinctorum,
Seminum aniſi,
Apij,
Spicæ-nardi, an. ʒ. j.

Cum ſucco Eupatorij adhuc liquido, *vel in huius defectu, cum* pauco vino, *fiant Trochiſci.*

ARTICVLVS II.

De Trochiſcis Purgantibus.

AGARICVS TROCHISCATVS.

D. M.

℞. Agarici optimi, radulâ tenuiſſimè comminuti, q. v.

Cum

Cum Vino albo & generoſo, infuſionis Zingiberis, *formentur Trochiſci, repetendo bis aut ter pulveriſationem, malaxationem, ac trochiſcationem. Quia verò morâ exoleſcunt, in parva copia parari debent.*

TROCHISCI ALHANDAL.

D. M. *Reform.*

℞. Pulpæ Colocynthidis albæ, levis & à ſeminibus purgatæ, ℥. x.

Incidantur minutiſſimè, & fricentur multis vicibus, atque ex intervallis, cum

Olei roſati, ℥. j. aut ſaltem, ſ. q.

Poſtmodum è mucilagine

Gummi Arabici,

Bdellij,

Tragacanthi, an. ʒ. vj.

extractâ in aqua roſarum *per quatriduanam macerationem, fiant Trochiſci in umbra exſiccandi. Ex deſiccatis verò denuò contuſis, Trochiſci rurſus cum prædicta mucilagine formentur, ac reponantur ad uſum.*

TROCHISCI PRO SVFFITV SYPHILITICORVM.

D. Theod. De Heri.

℞. Cinabrij, ℥. ij.

Ladani,

Styracis calamitæ, an. ℥. ß.

O Maſtiches

Mastiches,
Olibani, an. ʒ. iij.
Olei tartari,
Theriacæ, an. q. ſ.

Fiant Trochiſci, quorum ℥. ß. prunis candentibus impoſita ſuffitum edit, excipiendum ab ægris ſub conopéo, capite extrà exerto, horis idoneis.



PARTIS PRIORIS

SECTIO VIII.

De Opiatis, necnon de Confectionibus cardiacis, aliiſque.

CAPUT I.

De Opiatis.

MITHRIDATIUM DAMOCRATIS.
Ex Galeno.

℞. Agarici,
Cinnamomi,
Croci,
Myrrhæ,
Seminis thlaſpeos,
Spicæ - nardi,

Thuris

Thuris maſculi,
Zingiberis, an. ʒ. x.
Caſtorej,
Coſti,
Folij Indi, *ſeu* Malabathri,
Galbani,
Opobalſami,
Opopanacis,
Piperis longi,
Schœnanthi,
Seminis ſeſeleos Maſſilienſis,
Stœchados Arabicæ,
Styracis calamitæ,
Succi hypociſtidos,
Terebinthinæ Cypriæ, an. ʒ. viij.
Bdellij,
Carpobalſami,
Caſſiæ ligneæ,
Piperis albi,
Polij montani,
Scordij Cretenſis,
Seminis dauci Cretici,
Trochiſcorum Cyphi, an. ʒ. vij.
Cardamomi minoris,
Dictamni Cretici,
Gummi Arabici,
Nardi Celticæ,
Petroſelini Macedonici,

Opij,
Radicis gentianæ,
Rosarum rubrarum,
Seminis fœniculi, an. ʒ. v.
Radicum acori veri,
Asari,
Phu, *seu* Valerianæ majoris,
Sagapeni,
Seminis anisi, an. ʒ. iij.
Acaciæ veræ,
Méu Athamantici,
Seminis hyperici,
Ventris Scinci, an. ʒ. ij. ß.
Mellis optimi despumati, ℔. ix. ℥. viij. ʒ. ij.
Vini Malvatici, q. s.

Misce, Fiat Antidotus ex arte.

THERIACA ANDROMACHI SENIORIS. Ex Galeno.

℞. Trochiscorum scilliticorum, ʒ. XLVIII. *vel eorum loco*, Pulpæ scillæ recentis, aut saltem hornæ, ʒ. xxxij.
Magmatis hedychroi,
Opij Thebaïci,
Piperis longi,
Trochiscorum Theriacalium, an. ʒ. xxiiij. *vel horum loco*, Alcool viperarum. ʒ. xviij.
Agarici,

Agarici,
Cinnamomi,
Ireos Illyricæ,
Opobalſami,
Roſarum rubrarum ſiccarum,
Scordij Cretici,
Seminis buniadis, *ſeu* Napi ſilveſtris,
Succi glycyrrhizæ, an. ℥. xij.
Calaminthes montanæ,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Comarum dictamni Cretici,
Coſti,
Croci,
Myrrhæ,
Nardi Indicæ,
Piperis albi,
Nigri,
Radicis pentaphylli,
Rhapontici,
Schœnanthi,
Seminis petroſelini Macedonici,
Stœchados Arabicæ,
Terebinthinæ Cypriæ,
Thuris maſculi,
Verticillorum praſſij albi,
Zingiberis, an. ℥. vj.
Acaciæ veræ,
Amomi racemoſi,

Carpobalſami,
Chalcitidis uſtæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Comæ polij montani,
Folij, *ſeu* Malabathri,
Gummi Arabici vermiculati,
Méu,
Nardi Celticæ,
Radicum acori veri,
Gentianæ,
Valerianæ majoris,
Sagapeni,
Seminum ammeos Alexandrini,
Aniſi,
Cardamomi minoris,
Fœniculi,
Hyperici,
Seſeleos Maſſilienſis,
Thlaſpeos,
Styracis calamitæ,
Succi hypociſtidos,
Terræ Lemniæ, an. ℥. iiij.
Bituminis Iudaici,
Caſtorej,
Comæ centaurej minoris,
Dauci Cretici,
Galbani puri,

Opopa

Opopanacis,
Radicis aristolochiæ tenuis, an. ʒ.ij.
Mellis optimi despumati, triplum.
Vini Cretici, aut Falerni, q. s. *pro dissolvendis succis, liquoribus, & gummi.*

Misce, Fiat Antidotus ex arte.

DIASCORDIVM.

D. Fracast.

℞. Boli Armenæ, ℥. i. ß.
Scordij veri, ℥. j.
Styracis calamitæ, ʒ. iiij. ß.
Bistortæ,
Cassiæ ligneæ,
Cinnamomi,
Dictamni Cretici,
Galbani,
Tormentillæ, an. ℥. ß.
Piperis longi,
Zingiberis, an. ʒ. ij.
Opij Thebaici blandè exsiccati,
Seminis acetosæ, an. ʒ. i ß.
Conservæ rosarum rubrarum mollis, *in vini aromatici paucâ quantitate dilutæ & expressæ*, ℔. j.
Mellis albi despumati, ℔. ij. ß.
Vini aromatici, ℔. ß.

Misce, Fiat Antidotus.

LAVDANVM

LAVDANVM SIMPLEX TVTISSIMVM.

Colleg. Lugd.

℞. Theriaces recentis, ℥. ij.
Seminis papaveris albi, ℥. iiij.
Confectionis alkermes, ℥. j.

Infundantur per horas xxiiij. *in* Spiritûs vini optimi ſ. q. *in loco calido, incluſa matratio vitreo, aut alio vaſe idoneo excepta. Liquor tinctus in aliud vas blandè effundatur per inclinationem, novo ſpiritu vini in materiam affuſo: tamdiu idem repetendo, quamdiu liquor obſervabitur tingi: cui tandem addatur,*

Tinctura ℥. ß. Croci, cum aqua vitæ extracta.

Evaporetur paulatim in Balneo Mariæ, donec mellis conſiſtentiam acquirat.

LAVDANVM OPIATVM.

D. Sennert.

♃. Opij Thebaici ſ. a. purificati, ℥. j.
Spiritûs vini rectificatiſſimi, q. ſ. *ut videlicet affuſus, tribus digitis ſupereminent.*

Stent unà per dies xiv. *ſæpius agitando. Poſtmodùm quod clarum eſt ſenſim effundatur, & Spiritus vini lento calore ſeparetur, ad ſyrupi liquidioris conſiſtentiam.*

Interim

Interim verò infundantur seorsim in Spiritu vini , *per dies itidem* xiv.

Specierum diambræ , ℥. ij.

Posteà Tinctura clara separetur : cujus dimidium *affundatur* Extracto Opij , *unà cum*

Succi citri recentis defecati , ℥. j.

Maneántque simul in digestione , seu calore tepido per dies xx. *sæpius agitando. Vbi verò maxima pars spiritûs vini exhalarit , tunc adde ,*

Extracti Castorei ,

Solutionis coralliorum , &

Margaritarum , an. ʒ. ß.

Mox affunde ipsis reliquam medietatem Tincturæ specierum Diambræ : *túncque lento igne spiritus vini exhalare permittatur , adjiciendo sub finem ,*

Oleorum Caryophyllorum ,

Cinnamomi ,

Citri , an. gutt. vj.

Fiat ex omnibus massa instar Extracti : cuius mediæ *tantùm* parti *admisce ,*

Essentiæ croci , ℈. ß.

Ambari grisei ,

Moschi, an. gran. vj.

Reliqua verò Extracti medietas *absque istis servetur, fœminei sexûs usibus destinata.*

PHILONIVM ROMANVM *ſeu* MAGNVM.

D. N. Sal. *Emend.*

℞. Piperis albi,
Seminis hyoſcyami albi, an. ℥. v.
Cinnamomi tenuis, ℥. iij.
Opij, ℥. ij. ß.
Caſtorej,
Myrrhæ,
Seminis apij, an. ℥. j.
Dauci Cretici,
Fœniculi,
Petroſelini Macedonici, an. ℈. ij.
gr. v.
Pyrethri,
Spicæ-nardi,
Zedoariæ, an. gr. xv.
Croci, ℈. ß.
Mellis deſpumati, triplum, *ſeu* ℥. viij.
Miſce, Fiat Opiata ſecundùm artem.

CAPVT

CAPVT II.

De Confectionibus Cardiacis, aliisque.

CONFECTIO ALKERMES.

D. M. *Reform.*

℞. Serici crudi, ℔. j.
Infundatur per horas xxiiij. *in*
Aquæ rosarum, &
Succi depurati pomorum dulcium redolentium, an. ℔. j. ß.
In forti expressione, post levem cocturam, dissolve,
Succi granorum Kermes, ℔. j.
Sacchari albissimi, ℔. ij.
Aut ipsorum loco, sicubi succi non fiat copia,
Syrupi Kermesini optimi, ℔. ij. ℥. x.
Coquantur ad mellis consistentiam: Tum ab igne depositis, & adhuc calentibus adde,
Ambræ cineritiæ, *cum portione margaritarum præparatarum, vel cum lapide lazuli,* in subtilissimum alcool terendo redactæ, ℥. ß.
Tandem Pulverem etiam sequentem insperge:
Cinnamomi electi,
Ligni aloës, *vel potiùs* Santali citrini, an. ʒ. vj.
Lapidis lazuli usti & loti,
Margaritarum albarum, an. ʒ. ij.

Foliorum auri optimi, ℥. j.
Moſchi, ℈. j.

Miſce, Fiat Confectio ſecundùm artem: Cuius etiam portio SINE MOSCHO *ſervari debet parata.*

CONFECTIO DE HYACINTHO.
D. Ioub.

℞. Coralli rubri,
Hyacinthorum præparatorum,
Terræ ſigillatæ, an. ℥. ix.
Cornu-cervi crudi, *vel* Spagyricè calcinati,
Croci,
Dictamni Cretici,
Granorum Kermes,
Myrrhæ,
Oſſis è corde cervi,
Radicis tormentillæ,
Raſuræ eboris,
Roſarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Seminum acetoſæ,
Citri mundatorum,
Portulacæ, an. ℈. viij.
Foliorum argenti,
Auri,
Lapidum ſapphyri,
Smaragdi,
Topazij,

Margari

Margaritarum,
Serici crudi, an. ℈. iiij.
Ambræ cineritiæ,
Moſchi Orientalis, an. g̃r. x.

Fiat omnium Pulvis, è quo cum
Syrupi de limonibus ſine aqua parati, ℔.v.℥.ij.
concinnetur Confectio, ut artis eſt.

Nota, *Bonam ipſius partem ſervari debere* SINE MOSCHO ET AMBARO, *in gratiam ſexûs fœminei, ac delicatiorum.*

OPIATA SALOMONIS.
D. Ioub.

℞. Corticis citri ſaccharo conditi,
Sacchari ſolidi pulveriſati, an. ℥. viij.
Conſervæ acetoſæ,
Roſarum rubrarum veteris, an. ℥.i.ß.
Radicum bugloſſi,
Enulæ Campanæ, an. ℥.j.
Mithridatij veteris optimi, ʒ. vj.
Conſervæ anthos, ℥. ß.
Seminis citrij mundati,
Contra vermes præparati, an. ʒ.iij.
Cinnamomi, ʒ. ij.
Caryophyllorum, ʒ. i. ß.
Corticis citrij ſicci,
Radicum dictamni albi,
Seminis carduj benedicti, an. ʒ. j. g̃. xv.

Ligni aloës optimi, ʒ. j.
Cardamomi minoris,
Macis, an. ℈. ij. g̃. xv.
Radicis gentianæ, ʒ. ß.
Ossa è corde cervi, Num. iiij.
Grana juniperi in aceto scillitico per noctem infusa, Num. xxv.
Syrupi acetositatis citri, q. s.

Misce, Fiat Opiata.

ORVIETANA ANTIDOTVS.

I. A.

℞. Radicum anthoræ veræ, ℥. ij. ß.
Aristolochiæ rotundæ,
Bistortæ,
Carlinæ,
Gentianæ,
Tormentillæ, an. ℥. ij.
Foliorum siccorum carduj benedicti,
Dictamni albi Cretici,
Scorzoneræ,
Seminum echij,
Anchusæ,
Citri, an. ℥. j. ß.

Fiat omnium Pulvis, cui adde,

Radicis angelicæ, ad pondus omnium;
Mellis despumati, ad superiorum omnium pondus.

Mistis

Mistis omnibus simul, adde,

Vini Malvatici, ℔. i. ß.

Coquantur ad vini consumtionem. Postremò adde,

Trochiscorum viperinorum, ℥. j.

Theriacæ optimæ, decimam partem totius.

Misce, Fiat Electuarium in fictili servandum.

THERIACA DIATESSARON. D. M.

℞. Baccarum lauri,
Myrrhæ,
Radicum aristolochiæ rotundæ,
Gentianæ, an. ℥. ij.
Mellis Narbonensis triplum, putà, ℔. ij.

Misce, Fiat Opiata.

OPIATA CARDIACA. Colleg. Lugd.

℞. Baccarum juniperi, ℥. iiij.
Macis,
Pulveris viperini,
Radicum angelicæ veræ,
Aristolochiæ longæ,
Rotundæ,
Bistortæ,
Carlinæ,
Contrayervæ,
Méi Athamantici, an. ℥. j.

Cum

Cum Melle Narbonensi aquâ Scordij cocto, *Fiat Opiata.*

CONFECTIO DE BACCIS LAVRI. D. Rhas. *Emend.*

℞. Foliorum rutæ siccorum, ʒ. x.
Sagapeni, ℥. ß.
Opopanacis, ʒ. iij.
Amygdalarum amararum,
Baccarum lauri,
Foliorum menthastri,
Origani,
Piperis longi,
Nigri,
Radicum acori, *vel* Calami aromatici,
Seminum ammeos,
Carúj,
Cumini,
Dauci Cretici,
Levistici,
Nigellæ Romanæ,
Petroselini,
Castorej probatissimi, an. ʒ. ij.
Mellis despumati, triplum.
Misce, Fiat Electuarium secundùm artem.

PARTIS



PARTIS PRIORIS
SECTIO IX.

De Electuarijs Purgantibus, tam Mollibus, quàm Solidis: Necnon de Tabellis Alterantibus.

CAPVT I.

De Electuarijs Purgantibus mollibus.

DIACASSIA CVM MELLE, PRO CLYSTERIBVS.

Reform.

℞. Succorum betæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Parietariæ,
Violariæ, an. ℥. vij.
Mellis communis, ℔. iij.

Coquantur ad mellis crassitiem, jugiter despumando: tum adde,

Medullæ Cassiæ fistulæ, ad vaporem decocti seminis anisi recèns extractæ, ℔. ij.

Misce, Fiat Electuarium.

DIACASSIA CVM SACCHARO.

Parabitur eodem ritu quàm modò descripta: nisi quòd Saccharum rubrum *loco mellis veniat heic usurpandum; & deficientibus herbarum succis,* decocta ipsarũ *sint accipienda.*

ELECTVARIVM DIAPRVNVM SIMPLEX.

D. N. Myr. *Emend.*

℞. Pruna Damascena recentia & matura, Num. Centum.

Coquantur perfectè in Aquæ ℔. ij. aut q. s. *donec scilicet tertia pars aquæ absumta fuerit: tunc ab igne removeantur; & relicto ipsorum decocto, trajiciantur per cribrum rarum, donec pulpa extracta sit. In residuo decoctionis incoque,*

Seminis violarum, ℥. ß.

In colatura, post levem ebullitionem factâ, dissolve,

Sacchari albi, ℔. ij.

Coquantur ad Syrupi spissitudinem, diluendo sub finem coctionis,

Pulpæ prunorum, ℔. j.

Post levem ebullitionem, ubi crassescere cœperint, adde,

Pulpæ Cassiæ fistulæ,

Tamarindorum, an. ℥. j.

Remotis demum ab igne injiciantur, studioseque permisceantur Species sequentes *tenuissimè tritæ.*

♃. Santali

℞. Santali albi,
Rubri,
Spodij ex ebore,
Rhabarbari, an. ʒ. iij.
Rosarum rubrarum,
Seminum berberis,
Endiviæ,
Portulacæ,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Violarum, an. ʒ. ij.
Seminum 4. frigidorum majorum mundatorum, an. ʒ. j.

Fiat Electuarium.

ELECT. DIAPRVNVM SOLVTIVVM *seu* COMPOSITVM.

Misce: Fiat Emplastrum ex arte: malaxandum, si fortè opus sit, cum pauco oleo liliorum alborum.

EMPLASTRVM DIACHYLON MAGNVM.

D. M.

℞. Lithargyri auri præparatæ, ℔. j.
Oleorum anethini,
Chamæmelini,
Irini, an. ℥. viij.
Terebinthinæ, ℥. iij.
Ceræ flavæ,
Resinæ pini, an. ℥. ij.
OEsypi,
Muccaginum ficuum pinguium,
Ichthyocollæ,
Passularum,
Radicum althææ,
Seminum fœnugræci,
Lini,

Succorum radicis Ireos,
Scillæ, an. ℥. xij. ß.

Misce, Fiat Emplastrum, ut artis est.

EMPLASTRVM DIACHYLON CVM GVMMI.
D. Christoph.

℞. Massæ Emplastri Diachyli magni, ℔. iij.
Gummi ammoniaci,
Bdellij,
Galbani, *omnium vino solutorum, & ad mellis crassitiem coctorum*, an. ℥. j.

Misce, Fiat Emplastrum.

EMPLASTRVM DIAPALMA, *seu* DIACHALCITEOS.
D. Gal.

℞. Lithargyri auri tritæ ac cretæ,
Olei communis veteris, an. ℔. iij.
Axungiæ suillæ veteris sine sale, ℔. ij.
Vitrioli albi, triti, ac in aqua simplici soluti, ℥. iiij.

Misce: Fiat Emplastrum, spathulâ comparatâ è ramo palmæ recentis, *aut* quercûs, *aut* pruni silvestris, *inter coquendum assiduè versandum.*

EMPLA

EMPLASTRVM DIVINVM.

D. N. Pr. *Emend.*

Quibusdam MANVS DEI.

℞. Olei communis, ℔. ij. ℥. iij.
Lithargyri auri, ℔. i. ß.
Ceræ novæ, ℥. viij.
Lapidis magnetis, ℥. iiij.
Ammoniaci, ℥. iij. ʒ. iij.
Bdellij, ℥. ij.
Galbani,
Myrrhæ, an. ʒ. x.
Thuris, ʒ. ix.
Ariſtolochiæ longæ,
Maſtiches,
Opopanacis,
Viridis æris, *ſive* æruginis, an. ℥. j.
Miſce: Fiat Emplaſtrum, ut artis eſt.

EMPLASTRVM IOAN. ANDREÆ À CRVCE.

℞. Gummi pini, ℥. xij.
Elemi, ℥. iiij.
Olei laurini,
Terebinthinæ Venetæ, an. ℥. ij.
Miſce, Fiat Emplaſtrum ſecundùm artem.

EMPLA

EMPLASTRVM NIGRVM
Polychrestvm.
D. Lobel.

℞. Cerusæ albæ sinceræ, ℔. j.
Olei seminis lini, ℔. ij.

Misce: Coquantur simul secundùm artem ad Emplastri consistentiam.

EMPLASTRVM OXYCROCEVM,
D. N. Myr. *Reform.*

℞. Ceræ flavæ,
Colophoniæ,
Zopissæ, *seu* picis navalis, an. ℔. j.
Terebinthinæ, ℥. v.
Ammoniaci triti,
Galbani electi,
Masticхes,
Myrrhæ,
Thuris, an. ℥. iiij. ʒ. j.
Croci optimi, ℥. ij.

Galbano & Ammoniaco partim in pauco aceto albo *per noctem maceratis ac transcolatis, partim in* terebinthina *dissolutis; Croco verò pulverato seorsim in* Vino *infuso: Fiat Emplastrum ex arte.*

EMPLASTRVM VVLNERARIVM.
D. Paracelsi. *Emend.*

℞. Olei hyperici, ℔. ij.

Lithar

Lithargyri auri, ℔. i. ß.
Ceræ novæ, ℔. ß.
Terebinthinæ claræ, ℥. iiij.
Ammoniaci,
Bdellij, an. ℥. ij.
Ariſtolochiæ longæ,
Rotundæ,
Galbani,
Lapidis calaminaris,
Myrrhæ,
Olei laurini,
Opopanacis,
Thuris, an. ℥. j.
Fiat Emplaſtrum ex arte.

EMPLASTRVM PRO MATRICE. D. N. Pr.

℞. Ladani puri, ℔. iiij.
Picis navalis, ℔. iij.
Ceræ flavæ, ℔. i. ß.
Terebinthinæ, ℔. ß.
Liquatis omnibus injice Pulverem *ſequentem* :
Radicis biſtortæ, ℔. j.
Antheræ,
Berberis,
Ligni aloës,
Nucis moſchatæ,
Santali citrini, an. ℥. j.

Styracis calamitæ, ʒ. vj.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Florum chamæmeli,
Schœnanthi, an. ℥. ß.
Maſtiches,
Thuris maſculi,
Trochiſcorum aliptæ moſchatæ,
Galliæ moſchatæ, an. ʒ. iij.
Moſchi, ʒ. ß.

Agitentur & malaxentur ſimul omnia, addendo præterea,

Olei è nuce moſchata, ℥. iij. *aut* iiij.

Fiat Emplaſtrum ſecundùm artem.

EMPLASTRVM STICTICVM. D. Crollij.

℞. Oleorum lini,
Olivarum, an. ℔. i. ß.
Ceræ,
Colophoniæ, an. ℔. j.
Lithargyri argenti,
Auri, an. ℥. vij. ß.
Lapidis calaminaris,
Minij factitij,
Olei laurini,
Terebinthinæ,
Vernicis, an. ℔. ß.

Gummium

Gummium ammoniaci,
Bdellij,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, an. ℥. iij.
Hæmatitis,
Magnetis,
Mumiæ tranſmarinæ, an. ℥. i. ß.
Aloës hepaticæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Rotundæ,
Camphoræ,
Carabes citrinæ,
Coralli albi,
Rubri,
Matris perlarum,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Olibani,
Sanguinis draconis,
Terræ Strigenſis medicatæ,
Vitrioli albi, an. ℥. j.
Croci Martis,
Florum antimonij, an. ʒ. ij.

Fiat Emplaſtrum ſecundùm artem.

EMPLASTRVM TRIAPHARMACVM.

Paratur ex iiſdem ac Vnguentum Nutritum, *de quo vide ſuprà, in Sectione de Vnguentis.*



PHARMACOPOEÆ LVGDVNENSIS APPENDIX,

De Medicamentis Chemicis.

CAPVT I.

De Spiritibus, & Oleis, necnon Elæoſaccharis.

§. 1.

SPIRITVS.

SPIRITVS NITRI.

℞. *Nitri depurati*, ℔. ij.
Boli, vel *argillæ ſiccatæ ac tritæ*, ℔. viij.

Miſta invicem ac retortæ incluſa, ita vt pars tertia ſaltem maneat vacua, committantur igni reverberij, aptato recipiente amplo. Ignis primò lenior adhibeatur, poſt ſingulas ſex horas adaugendus. *Aqua* primùm prodit, poſtea *ſpiritus rubens*: qui ſeorſim robuſtâ phialâ vitrea excipiendus ac detinendus.

SPIRI

SPIRITVS SALIS, *seu* OLEVM SALIS VVLGARE.

℞. *Salis communis, probè quidem siccati ac triti, nequaquam tamen decrepitati*, ℔. ij.
Boli communis, aut *argillæ figulinæ siccatæ ac pulverisatæ*, ℔. vj. aut viij.

Impastentur, aut malaxentur, additâ *aquæ* s. q. formentúrque globuli, qui ad duritiem exsiccati includantur retortæ fictili luto obductæ, vix ad medietatem implendæ, adjuncto capaci excipulo. Sícque servatis ignis gradibus per horas v. vel vj. totum *phlegma* exstillabit. Tandem verò igne forti adhibito, prodibunt *Spiritûs* albi, rectificandi postea, phlegma in Balneo Mariæ abstrahendo. Includantur vitro robusto, ut meliùs serventur.

SPIRITVS SALIS ARMONIACI VOLATILIS VRINOSVS.

♃. *Salis Armoniaci*,
Salis Tartari, *an.* ℔. j.

Pulverisata misceantur invicem, additísque
Aquæ communis ℥. iiij. aut v.

fiat pasta, reponenda in cucurbitam vitream, cui superimponatur alembicus, cum suo recipiente, oris probè circumlutatis. Destillatio ex arena instituatur, igne primùm moderato, sensim postea adaugendo. Sic ascendet *Spiritus volatilis urinosus* in recipiens: Quo

penitus evecto, ignis adhuc augendus, ut *Flores* quoque aſcendant, partim alembico, partim ſublimiori cucurbitæ regioni adhæſuri. Finitâ deſtillatione, *Spiritus* & *Flores* ſeorſim conſtituantur. Seorſim etiam ſervetur *maſſa ſolida* in fundo cucurbitæ reſtitans, conflata ex ſale acido marino, & ſale tartari.

SPIRITVS SALIS ARMONIACI ACIDVS.

℞. *Maſſæ reſiduæ ex deſtillatione Spiritûs volatilis ſalis armoniaci*, q. v.
Boli, quadruplum.

Vtraque probè pulveriſata miſceantur invicem, inditáque retortæ terreæ, vel vitreæ lutatæ, deſtillentur igne reverberij clauſo, cum cautionibus debitis. *Spiritus* extractus rectificetur poſteà per alembicum in Balneo Mariæ.

SPIRITVS, *ſeu* OLEVM SVLFVRIS PER CAMPANAM.

In medio vaſis vitrei vel fictilis, lati adinſtar paropſidis, ſtatuatur tripus, ac ſupra tripodem crucibulum *ſulfure* repletum, quod carbone ardenti ſuccendendum. Interim deſuper ſuſpendatur funiculo campana vitrea, quoad ambitum vaſe ſubjecto minor, tantáque ab iſto diſtantiâ ne flamma dictam campanam attingat. Sic fumus ex accenſo ſulfure ſublatus, in campana condenſatur, móxque in guttas reſolutus ex campa-

næ

næ oris in vas ſuppoſitum depluit: quæ operatio tempeſtate uvidâ feliciùs ſuccedere ſolet.

SPIRITVS, & OLEVM VITRIOLI.

Vitriolum, vel Sole, vel igne, ad albedinem ſolùm, non ad rubedinem, calcinatum, deſtilletur igne nudo, ex retorta optimè lutata, in recipiens capaciſſimum, commiſſuris exactè clauſis, igne gradatim adhibito. Poſt tres circiter horas, *Phlegma* ſtillare incipit: quod ſubſequuntur tandem poſt horas vj. aut vij. *Spiritûs* albi ac nebuloſi, aucto paulatim igne. Apparentibus Spiritibus, continuandus, ac pedetentim augendus ignis, donec nulli ſpiritûs ampliùs egrediantur, quod inde agnoſci poteſt, ſi recipiens pellucidum appareat. Deſtillatis in cucurbitam transfuſis, *Spiritum volatilem ſulfureum dulcem* in Balneo Mariæ primùm elicies: poſteà *Phlegma* aſcendet, mutato recipiente, ídque donec acidæ guttæ exſtillare incipiant. Tunc enim reliquum in retortam vitream transferendum, quâ in cinere locatâ, pelletur & exibit *Spiritus clarus* ſeorſim ſervandus. Quod verò de iſto Spiritu poſtremum in retorta manet, *Oleum* (quanquam impropriè) nuncupatur, rubicundum id quidem & acre: quod ipſum, mutato recipiente, auctóque igne, totum etiam exſtillari, ac ſeorſim ſervari poteſt.

SPIRITVS MELLIS.

℞. *Mellis optimi*, ℔. j.

Arenæ,

Arenæ, vel *Salis communis*, ℥. iij.

Deſtillentur gradatim per retortam. Exibit primùm *aqua alba*, mox *flava* cum *Oleo*, ut & *Spiritus*, quæ aliquoties rectificentur.

SPIRITVS VINI ANTHOSATVS: *ſeu* AQVA REGINÆ HVNGARIÆ.

℞. *Florum anthos*, ℔. ij.

Spiritûs vini rectificati, ℔. iij.

Includantur cucurbitæ alembico cæco tegendæ, oris diligenter lutatis. Digerantur lento calore in Balneo vaporoſo per horas xxiv. aut in aprico Sole per triduum. Poſteà remoto cæco alembico, roſtratus cucurbitæ imponatur, oris itidem perbellè lutatis: deſtilletúrque in Balneo Mariæ quicquid aſcendere poterit.

---

§. II.

OLEA.

OLEVM SEMINIS ANISI.

♃. *Seminum aniſi in mortario lapideo craſſè contuſorum*, ℔. j.

Aquæ pluviæ, ℔. v. aut vj.

Digerantur ſimul per triduum, pauco ſale addito. Poſteà deſtillentur igne lento per veſicam cupream ſtannatam cum ſuo refrigeratorio. Quo facto ſeparetur

retur *Oleum* ab *Aqua*, per Ellychnium goſſypinum: ac demum rectificetur, ut artis eſt.

Eodem modo parantur etiam:

OLEA BACCARVM IVNIPERI,
SEMINVM CONTRA VERMES,
CORIANDRI,
FOENICVLI.

OLEVM CARYOPHYLLORVM.

Caryophylli aromatici craſſè contuſi macerentur per aliquot dies in *Vini* & *Aquæ*, an. ſ. q. addito pauco *ſale*. Poſteà deſtillentur per veſicam, paulò intenſiore ignis gradu, ſicque prodibunt *Oleum* & *Aqua*, ſeparanda filtratione per chartam emporeticam.

OLEVM CINNAMOMI ÆTHEREVM.

℞. *Cinnamomi optimi, craſſè contuſi*, ℔. iiij.
Vini ſolius, aut *Cramatis*, ℔. xij.

Digerantur ſimul per dies quatuor. Dein totum in veſicam cupream ſtannatam transfunde, ſuperaddendo adhuc *Aquæ* ℔. xij. Veſica ſtatuatur ſupra furnum cum refrigeratorio & recipiente, oris probè lutatis. Ignis adhibeatur mox ab initio ſatis gnavus, non tamen nimis validus, dando nimirum operam, ut guttæ inter deſtillandum ex brevibus intervallis ſeſe invicem conſequantur, utque refrigeratorij aqua ſubinde recentetur. Hoc modo *Oleum* cum *aqua* elicitur.

tur. Finitâ destillatione, *Oleum* ab aqua separetur, quod in fundo recipientis reperietur parvâ quantitate: Vix enim Olei ℥. ß. ex Cinnamomi ℔. iiij. extorquetur.

OLEVM CERÆ.

℞. *Ceræ optimæ liquefactæ*, partes tres.
Laterum comminutorum ignitorum, partem vnam.

Misceantur vnà, donec *cera* ab *lateribus* imbibita fuerit: tum immittantur retortæ vitreæ satis amplæ, ita ut dimidium duntaxat impleatur. Fiat destillatio per cinerem aut arenam, ignem paulatim augendo. Sic prodibit primùm *phlegma*; dein *spiritus acer*; postmodùm *oleum limpidum*; deinde *oleum* aliud *butyri instar* crassum; postremò *sal volatile*, quod parietibus recipientis adhærescit parvâ quantitate. Vrgeatur ignis, donec nihil amplius prodeat. Vbi vasa refrixerint, & à luto absoluta fuerint, infunde in recipiens, *Aquæ* mediocriter calentis, ℔. j. ut *sal volatile* dissolvatur, suóque *phlegmati* ac *spiritui* uniatur. *Oleum* secernatur per infundibulum; sed cùm crassum admodum sit, incorporetur cum cineribus cribratis, & rectificetur per retortam: Quod primò prolectum fuerit, usibus internis destinetur, quod posteriùs, utpote crassum ac butyraceum, usibus externis.

OLEVM

OLEVM DE LATERIBVS, *seu* PHILOSOPHORVM.

℞. *Laterum rubrorum vetustiorum, aqueæ humiditatis planè expertium, & in mediocria frustula comminutorum*, q. v.
Olei veteris infusionis rorismarini, q. s.

Lateres prunis minimè fumigantibus ad rubedinem igniti *oleo* extinguantur, dimittendo quoúsque penitus imbibantur. Postea ab oleo remoti ac pulverati, indantur retortæ luto loricatæ, destillentúrque ex arena, vel ex cineribus igne valido succensis, sicque prolectum *oleum* recondatur ad usus.

OLEVM PICIS BVRGVNDÆ.

℞. *Picis albæ*, q. v.
Arenæ, parum.

Immittantur retortæ vitreæ ventris capacis, ita ut tertia saltem pars impleatur. Destillentur per arenam in receptaculum aliquotâ parte *aquæ* præditum, adhibito igne primùm lento, & prodibit *Oleum*; pòst auctiori, & exstillabit *Balsamus*. Rectificetur *Oleum*, destillando cum aqua per cineres.

OLEVM SVCCINI, *seu* DE KARABE.

♃. *Succini albissimi crassè triti*, ℔. ij. aut iij.
Silicum contusorum, q. s.

Destillentur super arena per retortam vitream terreámve, tam amplam ut media pars vacua maneat. Adhibeatur ignis gradatim & cautè. Exstillabit primò *phlegma*: posteà *spiritus* & *oleum subtilius*, tandémque *crassius*, necnon *Sal volatile*. *Oleum* verò omne post destillationem, infunde in cucurbitam cum *aquæ* ℔. ij. & pauco *sale*: tum destilla totum per Balneum Mariæ, vel per vesicam: *oleúmque* ab *aqua* separa; quod ut dextrè rectificetur, misce prædicto *oleo* tantam cineris cribrati quantitatem, ut absorbeatur vniversum, inque *massam solidam* facessat. Hanc retortæ immissam exstilla igne lento. Primum prodibit *Oleum limpidum*, seorsim servandum, ad usus internos; postea *Oleum rubrum*, seorsim quoque servandum ad usus externos.

Eodem modo, igne tamen paulò validiore, paratur
OLEVM GAGATIS.

OLEVM TARTARI.

℞. *Tartari albi crudi loti*, vel etiam *depurati*, q. v.
Destilletur ex retorta vitrea lutata, cum excipulo amplo, in arena, vel potiùs igne nudo, & quidem gradatim adhibito. Exstillabit primò *phlegma*; dein *spiritus* sub forma nebulæ; tandémque *Oleum* pingue, quod ipsum à spiritu separandum, vel per filtrum, vel per infundibulum, vel per gossypium. Postmodùm rectificetur *Oleum* destillatione in Balneo Mariæ ter aut quater repetitâ, semper vasa destillatoria lixivio forti optimè eluendo.

OLEVM TARTARI PER DELIQVIVM.

Sal tartari ſacculo incluſum, in cella vinaria, & ſuper marmore declivi, aut imbrice vitreo poſitum, ſenſim liqueſcit in oleum, quod patellâ idoneâ ſubjecta excipitur.

OLEVM TEREBINTHINÆ.

℞. *Terebinthinæ Venetæ*, ℔. ij. aut iij.

Affundatur ipſis aquæ quantitas copioſa: & fiat deſtillatio per veſicam igne leni. Sícque prodibit primò *Oleum æthereum album* clariſſimum aquæ ſupernatans, quod vulgò dicitur *Spiritus*. Hinc ſtillare incipit *Oleum flavum ac lucidum*, quo tempore mutandum recipiens, ut ſeorſim ſuſcipiatur: addendo reſiduæ terebinthinæ calenti adhuc & liquidæ ſabulum, & continuando deſtillationem, donec nihil olei ampliùs exſtillet: Hócque ſpeciatim nuncupari ſolet *Oleum*. Tandem ſi materiam in veſica reſtitantem, quæ *Colophonia* dicitur, eximas, ac deſtilles ex retorta in arena, exſtillabit aliud *Oleum craſſum rubrum*, quod *Balſamus* vulgò vocatur, in arena rectificandum.

BALSAMVM GVIDONIS.
D. M. *Emend.*

♃. *Succi caſtorei*, ℥. v.
Aloës hepaticæ,

Bdellij,
Carpobalsami,
Croci,
Gummi Arabici,
Mastiches,
Mumiæ,
Myrrhæ electæ,
Sanguinis draconis,
Spicæ-nardi,
Styracis calamitæ recentis,
Rubri,
Thuris, *an.* ʒ.ij.ß.
Olei flavi terebinthinæ, ad pondus omnium.

Contrita omnia, ac prædicto terebinthinæ oleo mista, destillentur per alembicum, addendo post aliquod tempus iis quæ destillantur,

Vini optimi, ℥. viij.

Liquor oleagineus prolectus, separatus ab aquoso, excipiatur forti vase vitreo, dissolvendo in ipso,

Opobalsami, ʒ. ij.

Quin & pro re nata, *Moschi* quoque aliquid adjicere licebit.

---

§. III.

ELÆOSACCHARA.

Parantur misturâ *Olei* cujusvis *aromatici*, & *sacchari*, eâ

eâ ferè proportione, ut illius guttæ x. ad huius ℥. j. adjungantur. Exempli gratiâ.

ELÆOSACCHARVM CINNAMOMI.
D. Glaſ.

℞. *Olei ætherei Cinnamomi*, ℥. ß.
Sacchari albiſſimi pulverati, ℥. iij.


Miſce: Fiat Elæoſaccharum, aliis liquoribus ſat copioſis pro re nata diluendum.

ELÆOSACCHARVM CITRI.
D. Mynſicht.

♃. *Olei corticum exteriorum citri rectificati*, ℥. ß.
Sacchari canti albi, ℥. iij. Miſce.

Eodem modo parantur,

ELÆOSACCHARA MASTICHES,
SEMINIS CORIANDRI.



CAPVT II.

De Tincturis, Extractis, & Balſamis.

§. I.

TINCTVRÆ.

TINCTVRA CORALLORVM.

♃. *Corallorum rubrorum in alcool redactorum*,

Salis

Salis armoniaci, cum ſale communi decrepitato ter ſublimati, an. q. v.

Indantur cucurbitæ cum alembico ſuo, cui recipiens ſit probè agglutinatum, ac ſuper arena calente, igne lento quidem ab initio, ſed paulatim augendo, urgeantur. Aſcendet primùm *Spiritus volatilis*, in excipulum ſeſe receptans: mox *Flores* variè colorati, qui alembico adhæreſcunt. Vbi nihil ampliùs aſcendet, refrigeratis vaſis colligantur *Flores*, corallorum tincturam continentes, indantúrque matratio, ſuperfuſo *Vini Spiritu* ad eminentiam 4. digitorum. Digerantur per aliquot dies in Balneo Mariæ: ſic impregnabitur vini ſpiritus tincturâ rubicundiſſimâ. Filtratione factâ, extrahantur per alembicum in Balneo Mariæ, ad quantitatem trium quadrantum totius: & in fundo cucurbitæ reſidua erit Tinctura perfecta, phialâ probè occluſa ſervanda.

TINCTVRA MARTIS.

℞. *Limaturæ Chalybis probè lotæ*, ℔. ß.
Tartari Monſpelienſis cryſtallini pulverati, ℔. ij.

Miſce, atque in ollam ferream capacem injice, ſuperfundendo,

Aquæ fluvialis, pintas x. aut xij.

Ita tamen ut media, vel tertia ſaltem pars ollæ maneat vacua. Bulliant per diem integrum igne luculento, ut diſſolvatur tartarum, ac deperdita liquoris portio, novâ aquâ bulliente affuſâ ſubinde reſarciatur.

Interim

Interim materiem jugiter agita, quæ pulticulam colore refert. Poſtquam verò per horas x. aut xij. bullierint, ſinantur reſidere: craſſum ſubſidebit, tenujus ſupernatabit; quod decantandum, filtrandum & evaporandum lento igne, in vaſe fictili, ad ſyrupi conſiſtentiam.

TINCTVRA ROSARVM.

℞. *Roſarum rubrarum ſiccarum*, ℥. j.
Aquæ puriſſimæ ferventis, ℔. iiij.
Spiritûs vitrioli, q. ſ. ad gratam aciditatem.

Digerantur ſimul per horas iv. in Balneo Mariæ tepido. Tandem expreſſione factâ, diſſolve,
Sacchari optimi, ℔. ß.

Filtrentur, aut per chartam bibulam trajiciantur. Fiat Tinctura, quæ in vaſe cooperto ſinenda ſponte refrigerari.

---

§. II.

EXTRACTA.

EXTRACTVM AGARICI.

♃. *Raſuræ Agarici fœminæ, reſinoſi*, q. v.
Spiritûs vini rectificatiſſimi, q. ſ. ad eminentiam duorum aut trium digitorum.

Digerantur in vaſe clauſo per tres dies loco calido: Poſtea colentur, exprimantur, filtrentur; reaffuſâ pari

ſpiritus vini quantitate ſupra prædictam raſuram, quæ poſt digeſtionem denuò colabitur, exprimetur, filtrabitur. Tertiò eadem reaffuſio, digeſtio, colatura, expreſſio, filtratio celebretur. Tandem verò conjunctæ hujuſmodi filtraturæ detineantur in Balneo Mariæ, donec abſtractâ & exhalante ſpiritûs vini bonâ parte, Extractum ſuperſit in fundo cucurbitæ mellis conſiſtentiâ.

EXTRACTVM ANGELICÆ.

℞. *Radicum Angelicæ contuſarum*, ℔. j.
Vini albi generoſi, ℔. vj.

Poſita in cucurbita, cum capitello cæco, digerantur in Balneo Mariæ per duos tréſve dies. Poſtea remoto capitello cæco, ſubſtituatur roſtratum cum ſuo recipiente, juncturíſque accuratè lutatis fiat deſtillatio in Balneo Mariæ, donec elicueris menſtrui ℔. iij. quæ ſerventur in phiala bene clauſa. Organis refrigeratis, cola & exprime validè totum in cucurbita reſiduum. Filtra liquorem, & evapora lento Balnei Mariæ calore, in patina fictili vitreata, ad conſiſtentiam extracti. Magma ab expreſſione reſiduum calcinetur, & ex cineribus fiat lixivium, quod filtrabis & evaporabis, ut impetres *ſal* extracto jungendum.

EXTRACTVM ANTIMONII EMETICVM.

℞. *Croci metallorum*, ℥. iiij.
Muſti, ℔. viij.

In

In lagena vitrea probè clauſa, exponantur Soli & aëri nocturno pet dies XL. vas ſæpe agitando. Poſt id tempus, liquor ſupernatans trajiciatur per chartam emporeticam. Filtratum evaporetur lento igne in vitreo vaſe, ad debitam Extracti conſiſtentiam.

EXTRACTVM BACCARVM IVNIPERI.

℞. *Baccarum juniperi perfectè maturarum, jámque nonnihil ſiccarum*, ℔. ij.

Contundantur, digerantúrque per dies v. aut vj. in Balneo Mariæ, affuſâ *ſpiritus vini* aut *aquæ propriæ* ſucco limonum exacidulatæ, ſ. q. ad eminentiam ſcilicet trium quatuórve digitorum. Liquore abundè colorato per inclinationem abſtracto, magma prælo validè exprimatur. Expreſſionem colaturæ adjunge, & aquam in Balneo Mariæ deſtillando mediocriter abſtrahe, donec Extractum remaneat in fundo diplomatis ſub forma ſapæ.

EXTRACTVM COLOCYNTHIDIS.

℞. *Pulpæ colocynthidis ſine ſeminibus pulveriſatæ*, q. v.

Digeratur cum *Spiritus vini*, ſ. q. vaſe clauſo, per tres ſeptimanas. Filtra, filtratúmque denuò digere, & inſpiſſa ad mellis conſiſtentiam.

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI, *ſive* MELAMPODII.

℞. *Radicum hellebori nigri ſiccarum*, aut etiam *recentium*, ℔. j.

Contundantur perfunctoriè, affundendo ipſis,

Aquæ pluviæ ſtillatitiæ, ℔. v. aut vj.

Ponantur in cucurbita, cui capitellum cæcum aptetur. Digerantur per duos dies ſuper arena calente. Poſtea menſtruum percoletur, cum expreſſione levi radicum. Novam aquam radicibus affunde, digere ut priùs, cola, & colaturam cum priori junge. Filtra tandem, & evapora in patella terrea ad conſiſtentiam Extracti.

EXTRACTVM IALAPPÆ, *necnon ejuſdem* RESINA, *ſeu* MAGISTERIVM.

℞. *Radicum jalappæ probatiſſimæ inciſarum & contuſarum*, ℥. viij.

Spiritûs vini optimi, ad eminentiam iv. digitorum.

Ponantur in matratio, quod probè obturatum committatur Balneo Mariæ, ad digerendum per biduum triduúmve. Decantato menſtruo, idem proceſſus ſecundò tertióque repetatur. Tincturas omnes miſce, ac filtra. Filtratum in magna patina fictili vitreata reponatur: túmque ſuperfundantur *Aquæ puriſſimæ* ℔. iij. aut iiij. ita fiet ut *ſubſtantia reſinoſa* jalappæ ſenſim

ſim tum ad fundum, tum ad latera patinæ præcipitetur. Quo facto, tota aqua cum ſpiritu vini miſta fundatur in cucurbitam, & per deſtillationem, ſpiritus vini abſtrahatur. *Reſinam* verò quod attinet, abluatur probè aquâ limpidâ, poſtea exſiccetur lento calore, & in *alcool* redigatur uſûs tempore.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM. D. ZVVELF.

℞. *Corticis mediani ſambuci*,
Turbith albi, an. ℥. ij.
Hellebori nigri,
Hermodactylorum,
Rhabarbari optimi, an. ℥. iij.
Foliorum Orientalium mundatorum,
Radicum jalappæ, an. ℥. iiij.

Inciſa & contuſa extrahantur cum *Spiritûs vini* ſ. q. per repetitas vices materiebus affuſi, donec univerſa vis cathartica fuerit extracta. Extractiones filtratæ abſtrahantur in cucurbita vitrea in Balneo Mariæ, ad remanentiam ℔. j. circiter: túncque ab hoc liquore, ſive *extracto liquido*, ſeparetur innatans *Reſina*. Quo facto, liquor dictus leniter ad ignem, vel in diplomate ad debitam Extracti conſiſtentiam evaporet: cui demum admiſceatur denuò Reſina priùs ab ipſo ſeparata, & nunc recentis ac rectificatiſſimi Spiritûs vini ſ. q. ſoluta.

EXTRACTVM RHABARBARI.

℞. *Rhei electi*, q. v.

Aquæ ſtillatitiæ endiviæ, aut *agrimonij*, aut *hepaticæ*, ad eminentiam 4. digitorum.

Olei tartari per deliquium, guttulas aliquot.

Digere, decanta, exprime, filtra ternâ vice, tandémque ad formam Extracti coagula.

EXTRACTVM SCAMMONII, *necnon eiuſdem* RESINA, *ſeu* MAGISTERIVM: *Quibuſdam* PVLVIS SYRIVS.

Paratur eodem modo, quo Ialappæ Extractum ac Reſina.

EXTRACTVM SENNÆ ORIENTALIS.

℞. *Foliorum Orientalium mundatorum*, ℥. j.

Spiritûs vini, ℥. vij. aut viij.

Digerantur, exprimantur leniter, clarificentur filtratione, tandémque inſpiſſentur ad juſtam Extracti conſiſtentiam.



§. III.

§. III.

BALSAMA.

BALSAMVM ALOETICVM.

℞. *Aloës Zocotrinæ, in pulverem redactæ*, q. v.
Spiritûs vini rectificati, q. ſ.

Macerentur in loco calente, ſubinde agitando, donec liquor coloretur: quo per inclinationem abſtracto, novus affundatur, denuò abſtrahendus, ubi colore fuerit impregnatus. Cùm verò liquor affuſus nihil coloris ampliùs prolicit, menſtrua conjuncta ac tranſcolata, ad juſtam Extracti conſiſtentiam lentâ coctione redigantur.

BALSAMVM SVLFVRIS.

℞. *Sulfuris communis pulveriſati*,
Salis tartari, an. ℥. iij.

Miſce, & ſupra ignem leniſſimum in vaſe terreo plano, fiat *maſſa hepatis inſtar*, quæ in pulverem redacta, indatur alembico vitreo parvo, ſuperaffundendo *Oleum juniperi ſtillatitium*, vel *oleum terebinthinæ*, ad eminentiam 4. aut 5. digitorum. Digerantur in calore leniſſimo, donec rubicundiſſimo colore *Oleum* ſaturetur: quod effundendum, filtrandum, uſuíque aſſervandum.

CAPVT



CAPVT III.

De Salibus & Magisterijs.

§. I.

SALIA.

SAL ABSINTHII FIXVM.

Ex planta *absinthij* ſicca, ſupra focum cineſactâ, citra omne vas continens, lege artis extrahitur: affuſâ ſcilicet aquâ calida, factóque lixivio, quod coquendum venit, recenti aquâ calida ſæpius reaffuſa, in vaſe terreo vel ferreo, donec omnis ſalſedo extracta fuerit. Vbi reſederit lixivium, decantetur, filtretur, evaporetur ad ſiccitatem *ſalis*, quod graveolens erit. Quæ graveolentia auferetur, ſi in crucibulum immittatur, ignique fuſorio tradatur, & quamprimùm fluit, effundatur: aquâ autem ſuperfuſâ denuò diſſolvi, filtrari, ac coagulari debet ad ſiccitatem; vel humiditatem leniter & ſucceſſivè abſtrahendo in cryſtallos redigi: quod meliùs fiet vaſe clauſo quàm aperto, meliùs per moram aliquam in leni calore quàm in frigore.

Eodem quoque modo aliarum plantarum *ſalia* parantur, in quibus extrahendis *aquæ* ipſarum *ſtillati-*

tiæ

tiæ cæteris menſtruis meritò præferuntur, nominatim verò commendantur heic, ad uſus medicos.

SALIA ARTEMISIÆ,
FRAXINI,
SABINÆ,
TAMARISCI.

SAL CORALLORVM.

Coralla rubra craſſiuſculè trita calcinentur cum *ſulfure.* Calcinatis affunde aquam calentem, è qua decantata, filtratâ, evaporatâ, ad ſiccitatem, *ſal* corallorum elicietur. Quanquam integrorum corallorum ſolutio per acetum ſtillatitium facta, vulgò *Sal* ipſorum ſoleat ſalutari, ac pro ipſomet ſale uſurpari.

SAL, & MAGISTERIVM PERLARVM.

Prius efficitur per integrarum perlarum in *aceto ſtillatitio* digeſtionem, diſſolutionem, evaporationem, exſiccationem, edulcationémque. *Poſterius* verò, per præcipitationem ab injecto paucò *Oleo tartari per deliquium*, poſt perlarum in præfato aceto ſtillatitio diſſolutionem.

CREMOR & CRYSTALLI TARTARI.

℞. *Tartari albi craſſè confracti*, q. ſ.

 Abluatur

Abluatur ſæpius aquâ frigidâ. Lotum immittatur in vas figulinum ſemiclauſum, affuſâ aquæ ſimplicis, ſ. q. Coquatur ſtrenuè per horam unam: tum adde aliquot albumina ovorum. Cola per pannum lineum. Colatura denuò coquatur per horam dimidiam: poſtea refrigeſcat vaſe cooperto. Refrigeratæ aquam effunde: *cryſtallos* verò qui reperientur, lateribus vaſis fundóque hærentes, aquâ frigidâ lava. Lotos ac purificatos exſicca, ac pulveriſa ad uſus.

SAL TARTARI.

Cremor tartari, ſeu *Tartarum* ſemel priùs ſolutum ac cryſtalliſatum, calcinatur ad albedinem in fornace figulina. Poſtea affuſâ aquâ, *Sal tartari* non aliter elixiviatur, filtratur, coagulatur, quàm ex aliis quibuſvis cineribus. Elixiviari etiam poteſt è *capite mortuo Tartari*, poſt deſtillationem ſpiritûs reſiduo.

CRYSTALLVS MINERALIS: *ſive* SAL, *aut* LAPIS PRVNELLÆ.

℞. *Nitri puri, exſiccati, & triti*, q. v.

Fundatur in crucibulo: fuſo ſuperinjiciatur *Sulfuris vivi* parum, aut etiam *florum ſulfuris*. Vbi deflagrârit ac detonuerit, immitte iterum aliquid *ſulfuris*: toties iterando, donec ſuper *nitri libram unam* injecta fuerit *ſulfuris uncia una*, & nitrum planè purum evaſerit. Tum effunde ipſum in pelvim mundiſſimam æneam aut ferream

ream priùs excalefactam. Vt verò purius adhuc fiat, denuò ſolvatur ac cryſtalliſetur.

SAL POLYCHRESTVM.

℞. *Nitri depurati*,
Sulfuris communis, an. ℔. j.

Pulveriſata minutiſſimè miſceantur invicem. De hac miſtura injice in ollam fictilem igne jam candentem, igníque ſuſtinendo parem, ℥. ij. Agita materiam, quæ mox flammam concipit, vnde partes nitri volatiles cum ſulfuris portione exhalant. Ceſſante flammâ, parem unciarum ij. quantitatem denuò injicito, ſemper agitando; idémque facere pergito, donec totus pulvis injectus fuerit. Poſtmodùm materiem per ſex horas calcinabis, jugiter ipſam verſando, quo toto temporis tractu neceſſe eſt vt perpetuò ignita maneat, citra fuſionem tamen: ſicque *Sal* nanciſceris coloris roſei, inodorum, guſtu ſubamarum. Id autem vt purius evadat, ſolvendum eſt in *aquæ tepidæ*, q. ſ. filtrandum, & evaporandum leniter in vaſe terreo vitreato, donec cruſtam contrahere incipiat. Tandem verò algido loco exponatur, vt *Cryſtalli* formentur, tum fundo, tum lateribus vaſis adhæreſcentes.

SAL VOLATILE SVCCINI.

Evocari ſolet deſtillatione per retortam, unà cum *Oleo*, *Phlegmate* & *Spiritu*: partim verò parietibus recipientis adhæreſcit: partim cum ſuccini phlegmate, ſpiritu & oleo permiſcetur. Vt ergo ſeparetur, affun-

de materiebus in recipiente contentis, *Aquæ calentis*, q. ſ. omnia probè agitando, ut *ſal* in aqua diſſolvatur. Omnibus in phialam transfuſis, *Oleum* à reliquo liquore ſeparandum. *Liquor* filtretur, & in matratium colli proceri immittatur. *Spiritus ſalis* inſtilletur guttatim, ut ebulliant. Ponente ebullitione, liquor in cucurbitam indatur, ac deſtilletur ex arena. Prodibit *Aqua* inſipida, manente in fundo cucurbitæ *Sale volatili ſuccini*, unito cum *Spiritu ſalis*. Tunc aucto igne, *Sal* ſublimabitur partim ad alembicũ, partim ad regionem ſublimiorem cucurbitæ. Vaſis ergo refrigeratis *Sal volatile* colligatur: quod ut ſubtilius evadat, adde ipſi *Salis tartari* purificati tantundem. Poſt è parva cucurbita cum alembico ſublimentur ſuper arena, ut ita *Sal tartari* ſecum retineat totum *Spiritum ſalis*, qui *Sali ſuccini* ſeſe arctè univerat in prima deſtillatione: ſicque puriſſimum ac candidiſſimum evadet *Sal ſuccini*.

SAL MARTIS.

Chalybis limatura aceto ſtillatitio optimè irroranda in vaſe terreo vitreato, ita ut *paſta* inde fiat, quæ ſiccetur ſupra balneum arenæ. Siccatam tere ac irrora denuò. Idem repete vel duodecies. Tandem *Pulvis* indatur matratio, & affundatur *phlegma aceti*. Coque leviter bulliendo per horæ quadrantem, & filtra. Humiditate in Balneo Mariæ abſtractâ, digere cum *Spiritu vini*. Denique vaſe frigidum in locum tranſlato, fient *Cryſtalli*, uſus demum tempore pulverandi.

VITRIO

VITRIOLVM MARTIS.

℞. *Olei Vitrioli*, ℔. iij.
Aquæ pluviæ, ℔. ix. Misce invicem. Tum
℞. *Limaturæ Chalybis*, ℔. j.

Indatur matratio capaci, superfundendo *misturæ modò laudatæ* tres quartas. Statuatur matratium supra arenam calentem per bidui spatium. Postea decantetur in aliud vas *liquor* jam *viridis*. Siquid verò de limatura chalybis supersit nondum planè dissolutum, affunde reliquum misturæ dissolventis, ac digere denuò, ut priùs, super balneo arenæ. Decanta, ac priori decantationi conjunge. Vbi verò in fundo matratij superfuerit adhuc quidpiam, abjiciatur. Solutiones filtra, & evapora ad medias in fictili super arena calente. Hinc transfer in hypogæum, aliúmve locum algidum, ubi detinebis per triduum: per quem temporis tractum major pars liquoris in *Vitriolum crystalloides* convertetur. *Liquor* supernatans in vas aliud decantetur, evaporetur aliquatenùs, iterúmque crystallisetur. Quin & hic ipse labor in orbem agendus, donec tota humiditas in vaporem exhausta sit, totáque substantia solida in *Vitriolum* fuerit permutata. Tandem *crystallos* omnes exsicca, & in vase vitreo bene obturato serva.

SAL VITRIOLI VOMITORIVM.

Vitriolum cæruleum calcinetur in crucibulo, donec

in pulverem obſcurè atropurpureum abeat. Calcinato affunde, ad eminentiam 5. aut 6. digitorum, *Aquam communem* vel pluviam, ſenſim tamen, agitando interim, ne in fundo conglobetur, donec aqua (quæ non minùs incaleſcit, ac ſi calci vivæ ſuperfuſa fuiſſet) refrigeſcat. Digerantur ſuper arena calente per horas 7. aut 8. frequenter agitando. Poſtea filtrentur per chartam, fiátque evaporatio ſuper igne lento ad cuticulam vſque ſuperficiei: tum cryſtalliſentur. Denique aquam ſuperſtitem decantare, evaporare, ac cryſtalliſare perge. *Cryſtalli* initio ſunt coloris quodammodo *incarnati*, ſed pulveriſando in *albedinem* vertuntur.

SAL, *aut* SACCHARVM SATVRNI.

℞. *Calcis plumbi cineritiæ*, vel *Minij Officinarum*, q. v. Affunde *Acetum ſtillatitium*, pauco *ſpiritu vitrioli* acuatum. Maneant aliquandiu in digeſtione ſupra arenam calentem, donec extractio facta fuerit. Decanta menſtruum, filtra; novúmque *acetum ſtillatitium* in materiam rurſus affunde, decanta, filtra, tandémque humiditatem omnem per Balneum Mariæ abſtrahendo coagula. Sic habebis *Sal Saturni*, quod iteratis ſolutionibus in *phlegmate aceti ſtillatitij* purificabitur, & ad cryſtalliſandum reponetur, fecibus in operatione rejectis.

SAL VOLATILE CORNV-CERVI.

Cornua raſpata deſtillentur per retortam luto cataphractam, igne nudo: prodibítque cum pauco *phlegmate ſpiritus*; poſtea *oleum*, & *ſal volatile*, quod recipientis lateribus adhæreſcet. Colligatur hoc, *ſpiritúſque* ab *oleo* ſeparatus rectificetur: quâ in rectificatione non paucum adhuc *ſal volatile*, quod in *ſpiritu* reſidebat, ſecernetur, eo ipſo artificio, quod in *Sale ſuccini* fuit deſignatum.

Eodem quoque pacto paratur, SAL VOLATILE CRANII HVMANI.

SAL VIPERARVM VOLATILE.

Viperas exſiccatas, conciſas, leviter contuſas, & forcipe comminutas, vnà cum *hepatibus* & *cordibus*, immitte in retortam loricatam, uſquedum impleatur. Deſtilla adhibito recipiente amplo, obſervatis ignis gradibus. Prodit primùm *phlegma* & *ſpiritus*; poſtea *ſal volatile*, partim in prolecto liquore diſſolutum, partim lateribus recipientis, collóque retortæ vndique adhærens; tandémque *oleum* fœtidum & craſſum, quod chartâ ſeparandum. Exemtum *Sal volatile* purificatur in phiala ſatis longa, cum amplo ventre, ſublimando per arenam aut cineres, moderato igne, ne aquoſitas aliqua ſal inſequatur, quod aucto igne contingere ſolet. *Salis* huius partes ſubtiliores & ſublimiùs evectæ, reliquis ſunt odoris penetrantioris, ſummæque

mæque volatilitatis, atque adeò in vitro probè cerâ obturato custodiri debent.

SAL VIPERARVM FIXVM.

Elicitur modo consueto, ex *capite mortuo* post destillationem *viperarum* residuo; ex *sale* verò sic elicito si *Spiritum* destillatione tibi compares, illúmque *Sali volatili* sensim instilles, ipsum figes: quod etiam fiet, instillando sensim *Spiritum salis communis rectificatum.*

SAL CAVSTICVM, *sive* LAPIS CAVSTICVS.

℞. *Cinerum clavellatorum*, ℔. ij.
Calcis vivæ, ℔. j.

Pulverisata misceantur, vnáque calcinentur in vase fictili idoneo. Postmodum additâ *aquæ fontanæ* s. q. fiat lixivium. Macerentur per biduum, túmque evaporentur ad siccitatem. Residuum *sal* acerrimum fundatur in crucibulo, in fornace anemia. Fusum projiciatur in pelvim, dúmque adhuc calet scindatur in parva frusta, phialis vitreis promtè excipienda, cerâ probè obturandis, ne ab aëre attingi possint.

LAPIS INFERNALIS, *seu* STYGIVS.

♃. *Aquæ fortis optimæ*, ℥. iiij.
Lunæ purissimæ laminatæ, ℥. ij.

Misceantur in matratio ad dissolutionem usque: Dissolutum in cucurbitam alembico suo tegendam conjice;

conjice, eáque in fornace arenæ constitutâ, mediam circiter *aquæ fortis* partem prolice. Postmodùm sinatur per horas aliquot refrigescere vas, & in fundo cucurbitæ residuam materiem reperies sub forma *salis*, quod crucibulo Germanico grandiusculo indatur, posito super exiguum ignem, donec ebullitiones insignes conticuerint, & materies ad fundum subsidat: Quo tempore ignem augebis nonnihil, & materies in fundo crucibuli apparebit instar *olei*. Effundatur tunc in vasculum mundum, & *lapidis* instar dura evadet. Mox verò exemtam, antequàm duritiem summam nacta fuerit, in frusta teretia acuta cultello divide: quæ frusta pyxidi vitreæ inclusa serventur, non contrectanda nisi chartâ intermediâ.

---

§. II.

MAGISTERIA.

MAGISTERIVM CORALLORVM RVBRORVM.

Fit, ut dictum *suprà* de MAGISTERIO PERLARVM, instillando nimirum super *solutionem Corallorum* aceto stillatitio factam, *Olei tartari per deliquium*, parum. Sic præcipitabitur *pulvis*, *aquâ communi*, vel *stillatitiâ* quapiam edulcorandus.

Eodem etiam modo parabuntur:

MAGISTERIA CORNV-CERVI, CRANII HVMANI, OCVLORVM CANCRI.

MAGISTERIVM SVLFVRIS : *aliàs* LAC, *aut* BVTYRVM SVLFVRIS.

℞. *Salis tartari*, partes tres,
Florum Sulfuris, partem unam.

Miſce, poſitáque in vitro oris capaciſſimi, vel in olla fictili, collocentur in arena, affundendo *Aquam communem* ad eminentiam ſex digitorum, ita tamen ut quarta pars vaſis maneat vacua. Digere per diem naturalem. Dein bulliant ad ſolutionem *ſulfuris*, ſpathulâ ligneâ continuè agitando, donec *ſulfur* ferè omne ſolutum ſit, quod fit intra v. vel vj. horas. *Liquorem* (qui tunc ruber apparebit) filtra calidè per chartam emporeticam, affundendo protinus lentè, celeri tamen lapſu, *Vinum auſteriuſculum*, tamdiu donec lacteum colorem acquirat, quæ *ſubſtantia lactea* paulatim ad fundum ſecedit. *Lac* ergo iſtud *præcipitatum* colligi debet, effuſo liquore ſupernatante, poſtmodùm *aquâ tepidâ* pluries ablui, tandémque exſiccari.

MAGISTERIVM TARTARI : aliàs TARTARVM VITRIOLATVM.

℞. *Olei tartari per deliquium*, ℥. iiij.

Affunde guttatim ipſi, in matratio capaci & colli oblongi, *Spiritûs*

Spiritûs vitrioli, ℥. ij. vel q. s.

Donec ſcilicet omnis ebullitio ac ſtridor, ex antipathiâ duplicis iſtius ſubſtantiæ orta, ceſſent: ſic fiet ſemicoagulum. Sedatâ ebullitione, effunde totum in patinam, ac ſuper arena calente humiditatem mixturæ ad ſiccitatem evaporare ſinito lento igne: reſtabítque *Sal candidum* inſtar nivis, vaſe vitreo probè clauſo coërcendum ad uſus.



CAPVT IV.

De Calcibus, Crocis, Fæculis, Floribus, Præcipitatis, Regulis, Sublimatis, ac Vitris.

§. I.

CALCES.

CALCINATIO PLVMBI.

Plumbum purificatum funditur in olla fictili non vitreata, auctóque igne ut olla ſaltem candeat, continuâ agitatione cum rude ferrea reducitur in *cinerem*, ſeu *calcem cineritiam* ad viride vergentem: quam ubi refrigeſcere ſiveris, cribro tranſmittes. Quòd ſi in igne reverberij, ſupra laterem ſupercilio circumſeptum, collocetur atque detineatur iſtiuſmodi *calx Saturni*, evadet primùm *flava*, tandémque *rubra*: quo tempore MINII vocabulum ſibi adoptat.

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM: aliàs DIAPHORETICVM MINERALE, aut CERVSA ANTIMONII.

℞. *Nitri puri*, ℔. iij.
Antimonij optimi, ℔. j.

Terantur, cribrentur, miſceantur exactè, calcinentur in crucibulo, injiciendo paulatim ac per vices, ℥. j. *mixturæ*, talémque injectionem continuando, cum detonationibus ipſam excipientibus. Interim verò poſt ſingulas detonationes *materia* edulcari & exſiccari debet. Sedatâ poſtremâ detonatione, calcinatio per horam unam & alteram operto crucibulo continuanda eſt. *Calx* tandem candidiſſima pluries *aquâ dulci* tepidâ lavanda, donec ſalſedinem exuerit, & poſt filtrationem ſiccanda.

---

§. II.

CROCI.

CROCVS MARTIS APERIENS.

Præter Chalybis præparationem ex aqua ſimplici, ſuo loco, ubi *de Præparatis*, traditam, laudem meretur ſequens proceſſus.

Chalybis ſeu *Martis* laminæ candefiant in igne, adeò ut ſcintillent: túncque admove ipſis magdaleonem *ſulfuris*: ſic colliqueſcet *Mars* inſtar ceræ, decidétque granu

granulatim in pelvim ſuppoſitam *frigidâ* plenam. Aquâ abjectâ, *miſtura chalybi-ſulfurea* crucibulo committatur & igniatur. Poſtmodùm igne exemta teratur ſubtiliſſimè. *Pulvis* per incerniculum trajiciatur, ac leni calcinatione adhibitâ in *Pulverem rubicundum* mutabitur, ſuper porphyrite lævigandum, citra edulcorationem.

Alius CROCVS MARTIS APERIENS, SACCHARINVS, dictus.

Limatura Martis oleo ſulfuris aut *vitrioli* conſpergatur, reponatúrque in cellam. Poſtmodùm *aquâ* abluatur, & ſubſidebit *Crocus*, deinceps exſiccandus, atque ad *rubedinem* ſolummodò parum calcinandus.

CROCVS MARTIS ASTRINGENS.

Limaturam chalybis aquâ ſalsâ conſperſam, ſuper laterem ſuperciliis undique cinctum, per dies aliquot reverberio ſubjice, donec ſcilicet in alcool ſeu *Crocum* elevetur leviſſimum ac *rubicundiſſimum*, nullo modo ablutionis indigum.

CROCVS METALLORVM.

℞. *Antimonij crudi electi*,
Nitri puri, an. q. v.

Craſſè trita ſigillatim, ac deinde exactè miſta, in crucibulum ignitum, vel in mortarium æneum, per repetitas vices injectentur, ad quantitatem ſcilicet ℥. ij. aut iij. quaque vice; toties vas cooperiendo, dum de-

tonatio præterierit. Finitâ poſtremâ detonatione, ſtent per horam in igne rotæ ſeu fuſionis. Vas refrigeratum materiam exhibebit, dictam HEPAR ANTIMONII, quæ ablatis *ſcorijs albis* ſuperfluitantibus, pulveriſata, & edulcata *aquâ calidâ*, dicitur CROCVS METALLORVM, utpote *pollinem* efficiens *rubicundiſſimum*.

---

§. III.

FÆCVLÆ.

FÆCVLA BRYONIÆ.

Radicem Bryoniæ lotam & raſam minutim incîde, tum in mortario optimè contunde, affundendo ſubinde *aquam*, ut fiat pulticula liquidiuſcula, quam prælo fortiter exprime. Expreſſio liquida reponatur loco frigido, ut ſubſideat *farinacea materia*, quam poſtea exſicca.

Eodem modo parari quoque poſſunt:

FÆCVLÆ RADICVM ARI,
CVCVMERIS AGRESTIS,
IREOS NOSTRATIS.

GERSA SERPENTARIÆ.

Radices ſerpentariæ majoris abluendæ, ſiccandæ, in

taleolas

taleolas ſcindendæ, in mortario contundendæ, *aquâ roſaceâ* inſuccandæ, ad Solem denique exſiccandæ: quod negotium ter quatérque iterandum. Tandem pulvis *vino* madefaciendus, atque in paſtillos cogendus, in umbra denique ſiccandos.

---

§. IV.

FLORES.

FLORES ANTIMONII.

Cucurbitam fictilem ſuper arena ſatis profundè colloca: cui cucurbitæ Ollas aliquot, Numero tres, quatuor, quinque, vel etiam plures, ſeſe invicem excipientes ſuperimpone ac connecte, ita vt ſuprema ſit inſtar capitelli, cæteræ ſint perforatæ circa fundum. Prima ollarum, cucurbitæ proximè incumbens, laterali foramine, quod obice terreo ſubinde claudi poſſit, inſtructa ſit. Cucurbita primò excalefiat paulatim igne, donec igniatur tota. His ita adornatis, remoto obice terreo, injice per foramen laterale, *Stibij crudi* probè triti, vel etiam *Reguli antimonij* ℥. ij. aut iij. ſtatímque occlude foramen, ſingulis horæ octantibus idem factitando, donec ſcilicet totum *ſtibium* fuerit injectum. Interim verò gradatim regendus ignis, ut neque nimis validus, neque nimis languidus admoveatur. Vaſis refrigeratis, lutóque quo glutinabantur remoto, *Flores*

res

res in ſuperioribus ollis contentos, *albos*, *flavos* & *rubros*, pede leporino tibi colliges ad uſum.

FLORES BENIOINI.

℞. *Benjoini triti*, q. v. Indito ollæ vitreatæ, cui deſuper incumbat pyramis teres, altitudinis pedalis, ex charta emporetica duplici formata, oram ollæ amplexans, filóque religata. Admoveatur paulatim lenis ignis arenæ vel cinerum. Sic liqueſcente *Benjoino*, ſublimabuntur *flores nivei*, chartæque adhæreſcent, quos bis intra horæ unius ſpatium pennâ eximes, ne rurſus decidant, novámque pyramidem chartaceam ſubinde impones. Eundem autem laborem continuabis, donec *oleaginoſos flores* aſcendere videris: quo tempore deſiſtendum.

FLORES SALIS ARMONIACI.

℞. *Salis Armoniaci*, &

Communis decrepitati, an. ℔. j.

Pulveriſata ſeorſim, ac invicem poſtea miſta, furno arenæ committantur, in cucurbita alembico cæco tecta. Adhibeatur initio ignis lentus, ſenſim adaugendus, donec *ſalem armoniacum* farinæ inſtar ad alembicum evehi notaveris. Continua ignem eodem gradu per horas v. aut vj. Refrigeratis vaſis, quicquid aſcenderit in alembicum, collige, ídque remiſce cum novo *ſale communi*, ac reſublima, ut priùs; quod & tertiâ vice repetes: ſicque *flores* nactus eris exactè purificatos, & ab omni ſalis armoniaci impuritate abſolutos.

FLORES

FLORES SVLFVRIS.

℞. *Sulfuris crassè contusi*, q. v.
Salis communis, duplum.

Misce, indantúrque cucurbitæ fictili lutatæ, vel tota simul, vel partitis vicibus: impositóque alembico sublimentur igne aperto quidem, sed moderato. Prodit primò *aciditas*, quam excipulo suscipe, ac seorsim serva. Secundò prodeunt per sublimationem *flores flavi*, qui ubi sat copiosi alembico adhæserint, alembicus permutandus est, novum *sulfur* subinde ingerendo, si prius non suffecerit, ignémque tamdiu continuando, donec in alembico nihil ampliùs supersit, quàm exigua quantitas terræ levis.

---

§. V.

PRÆCIPITATA.

PRÆCIPITATVM ALBVM, *seu* MERCVRIVS COSMETICVS.

Solvatur *Mercurius* in *aqua forti* in limpidum liquorem super arena calente: cui soluto affundatur *Aquæ communis*, seu *fontanæ* tepidæ magna copia, in vitro ampli orificij. Huic affundatur aliquid *salis communis* in aqua soluti, statímque *Pulvis niveus* fundum petet: túmque decantato liquore *Præcipitatum* abluendum *aquâ dulci*, & exsiccandum.

PRÆCIPITATVM RVBRVM.

℞. *Mercurij purissimi*, partem unam,
Aquæ fortis communis, partes duas.

Dissolvantur in matratio super arena calente. Solutionem retortæ immite, & *aquam fortem* per destillationem abstrahe cum tribus cohobiis. Reperietur in ventre retortæ refrigeratæ *Præcipitatum rubrum* in massam coalitum, quæ pulverisanda, ac edulcoranda iteratis ablutionibus.

PRÆCIPITATVM EX FÆCIBVS REGVLI.
Vulgò SVLFVR AVRATVM DIAPHORETICVM: *Alijs* SAL DIAPHORETICVM.

Scorias à Regulo antimonij separatas coque cum *aqua* in lixivium. Pòst filtra per chartam, inspergendo colaturæ *acetum stillatitium*: & præcipitabitur *sulfur rubrum antimonij*, quod decantato lixivio pluribus lotionibus edulcandum, ac denique siccandum.

PVLVIS ALGEROTHI, *vulgò* MERCVRIVS VITÆ.

℞. *Butyri antimonij*, q.v.

Infunde *aquam tepidam*: ac statim *pulvis albus* præcipitabitur, qui denuò concutiendus, ac deinde permittendus residere. Aqua autem supernatans decantanda, ac servanda sub titulo SPIRITVS VITRIOLI PHILOSOPHICI. *Pulvis* demum abluatur, donec

nullam

nullam ampliùs acrimoniam ſapiat, tandémque exſiccetur.

BVTYRVM ANTIMONII, *ſive* OLEVM GLACIALE ANTIM.

℞. *Antimonij optimi*,
Sublimati corroſivi, an. ℔. j.

Trita miſceantur, retortæque vitreæ immiſſa, adjuncto recipiente itidem vitreo, igni arenæ exponantur, deſtillentúrque modeſtè, donec nihil ampliùs *gummoſi liquoris* prodeat; qui ſi concreſcat in collo retortæ, ne id obſtruat, imò verò ut liqueſcat, cautè admoto carbone ignito procuretur. Ita habebis in recipiente BVTYRVM ANTIMONII, quod per retortam rectificabis. Concretus porrò in collo retortæ *liquor ruber*, vocatur CINNABARIS ANTIMONII.

---

§. VI.

REGVLI.

REGVLVS ANTIMONII.

℞. *Antimonij optimi*,
Tartari, an. ℔. j.
Nitri, ℥. v.

Terantur ſeorſim Singula, ac miſceantur. Poſteà in crucibulum capax, prunis ardentibus expoſitum, jám-

que candens, injice cochleari ferreo unciam unam *misturæ* hujuſce, móxque operculo claude, donec detonuerit. Tunc novum cochlearium miſturæ injice, vt priùs: pergendo ita facere, donec uniuerſa materia ſit calcinata. Poſteà igne valido fuſam in vaſculum ferreum pinguedine intus oblitum conjice, & pyragrâ vaſculum concute, ut *Regulus* ad fundum ſubſidat. Refrigeratis omnibus, inverte vaſculum, & *Regulum* ſub *ſcorijs* deprehendes, quem ictu mallei ab illis ſeparabis, & ſeorſim ſervabis; ſicut & *ſcorias*, ad *ſulfur auratum ſtibij* parandum expetitas.

---

§. VII.

SVBLIMATA.

SVBLIMATVM CORROSIVVM.

℞. *Mercurij crudi purificati*, ℔. j.
Salis decrepitati,
Vitrioli calcinati, an. ℔. ij.
Aquæ fortis, parum.

Fiat omnium maſſa, tamdiu ſubigenda in mortario lapideo donec *Mercurius* vnà cum prædictis ſpeciebus in *Pulverem* abeat, qui cucurbitæ lutatæ indatur cum ſuo alembico. Detur ignis per gradus in arena, ad horas viij. aut x. Et elevabitur ad latera cucurbitæ, nequaquam verò ad capitellum uſque.

SVBLI

SVBLIMATVM DVLCE. *Quibusdam* MERCVRIVS DVLCIS, *aut* AQVILA ALBA.

℞. *Mercurij crudi purificati*, ℥. vj.
Sublimati corrosivi, ℥. viij.

Misceantur exactè in mortario marmoreo, vel super porphyrite, donec *Mercurius vivus* non ampliùs conspiciatur, sed mistura *griseum* in *pulverem* conversa fuerit. Sublima calore arenæ, in phiala vix semiplena, leviter saltem obturata, & sublimabitur totus ferè *Mercurius*, adhærescétque lateribus phialæ, remanentibus in fundo *fæcibus*: quas unà cum nigricante materia summo collo phialæ adhærente separare convenit. Repetatur idem bis & ter, rejectis semper *fecibus*, necnon portione *sublimati corrosivi* summitati phialæ adhærente: reliquum verò medio loco positum, compactum ac satis dulce, diligenter servandum.

---

§. VIII.

VITRA.

VITRVM ANTIMONII: *seu* VITRVM ANTIMONII HYACINTHINVM.

Antimonium perbellè pulverisatum calcinetur igne lento, in vase figulino amplo ac lato, non-vitreato, materiam rudiculâ assiduè movendo, ne grumescat: id

quod ſiquando fortè evenerit, denuò ipſam pulveriſare oportet. Iterandus calcinandi labor, ignı́ſque augendus, ut vas paulatim igniatur, materiéſque non ampliùs effumet, ac *griſeum* ſeu cinereum *colorem* induat. Poſteà, vbi refrixerit materia, transferatur in crucibulum, fundatúrque igne violento: túncque bellè ac ſufficienter fuſa, (quando nimirum immiſſo ſtilo ferreo diaphana apparet) effundatur in pelvim æneam, aut in tabulam lapideam, ut in *Vitrum* abeat. Quòd ſi *Vitrum* fuerit adhuc opacũ ac nigrum, iteranda venit fuſio, addito pauco *ſulfure flavo crudo*, donec *hyacinthinum colorem*, ac *pelluciditatem* optatam fuerit conſequutum.

FINIS.





INDEX

MATERIARVM IN HAC Pharmacopœa contentarum.

Conserva

Stičticum

Ad

Chalybeatum.

FINIS.

PERMISSION.

IE n'empesche pour le Roy qu'il ſoit permis à IAQVES FAETON d'imprimer le Livre intitulé *Pharmacopœa Lugdunenſis Reformata*, & que les Deffenſes ordinaires luy ſoient accordées, pour trois années. A Lyon le 13. Novembre 1673.

VAGINAY.

CONSENTEMENT.

SOit fait ſuivant les Concluſions du Procureur du Roy, les an & jour ſuſdits.

DESEVE.

ERRATA.

IN *præfat. ad Lectorem, p.2.l.5.lege*, diverſa, eáque apta nata. *Ibid l.18. lege*, conſilium. *Pag. 14. l.8. lege*, Pumex. *P. 16. l. 16. lege*, calorem. *P.19. l.20. lege*, ſuſpecta. *P. 31. in titulo paginæ, lege*, De ſimpl. ſucced. *P. 33. in titulo paginæ, lege*, De ſimpl. nuncupat. &c. *P. 63. l. 4. lege*, colaturæ ℔.ij. *P.79. l.1. lege*, ℔.vij. *P.130. l.vlt. lege*, Saxifragiæ. *P.165. l.16. lege*, Aureum. *Ibid. l.antepen. lege*, vini tantillo. *P. 177. l.15. lege*, Pinguedinis. *P.178. l.2. lege*, Lugd. *Ibid. l. 6. lege*, ac. *P. 242. l.5. lege*, immitte.



